# De Imitatione Christi

## LIBER PRIMUS
## ADMONITIONES AD VITAM SPIRITUALEM UTILES


**Capitulum 1.**
**De imitatione Christi**
**et contemptu omnium vanitatum mundi** *audio: 00.38* **9**

**Capitulum 2.**
**De humili sentire sui ipsius** *audio: 4.09* **10**

**Capitulum 3.**
**De doctrina veritatis** *audio: 7.29* **11**

**Capitulum 4.**
**De providentia in agendis** *audio: 13.58* **13**

**Capitulum 5.**
**De lectione sanctarum scripturarum** *audio: 15.29* **13**

**Capitulum 6.**
**De inordinatis affectionibus** *audio: 17.12* **14**

**Capitulum 7.**
**De vana spe et elatione fugienda** *audio: 18.47* **15**

**Capitulum 8.**
**De cavenda nimia familiaritate** *audio: 20.58* **15**

**Capitulum 9.**
**De obedientia et subjectione** *audio: 22.26* **16**

**Capitulum 10.**
**De cavenda superfluitate verborum** *audio: 24.42* **17**

**Capitulum 11.**
**De pace aquaerenda,**
**et zelo proficiendi** *audio: 26.42* **17**

**Capitulum 12.**
**De utilitate adversitatis** *audio: 00.12* **19**

**Capitulum 13.**
**De tentationibus resistendis** *audio: 02.14* **19**

**Capitulum 14.**
**De temerario judicio vitando** *audio: 08.24* **22**

**Capitulum 15.**
**De operibus ex caritate factis** *audio: 10.32* **22**

**Capitulum 16.**
**De sufferentia defectuum aliorum** *audio: 12.50* **23**

**Capitulum 17.**
**De monastica vita** *audio: 15.40* **24**

**Capitulum 18.**
**De exemplis sanctorum patrum** *audio: 17.25* **25**

**Capitulum 19.**
**De exercitiis boni religiosi** *audio: 22.10* **26**

**Capitulum 20.**
**De amore solitudinis et silentii** *audio: 28.07* **28**

**Capitulum 21.**
**De compunctione cordis** *audio: 00.11* **31**

**Capitulum 22.**
**De conditione humanae miseriae** *audio: 05.01* **32**

**Capitulum 23.**
**De meditatione mortis** *audio: 19.01* **34**

**Capitulum 24.**
**De judicio et poenis peccatorum** *audio: 19.01* **37**

**Capitulum 25.**
**De ferventi emendatione totius vitae nostrae** *audio: 26.42* **39**

## LIBER SECUNDUS
## ADMONITIONES AD INTERNA TRAHENTES

**Capitulum 1.**
**De interna conversatione** *audio: 00.14* **43**

**Capitulum 2.**
**De humili submissione** *audio: 07.19* **45**

**Capitulum 3.**
**De bono pacifico homine** *audio: 09.17* **46**

**Capitulum 4.**
**De pura mente et simplici intentione** *audio: 12.21* **47**

**Capitulum 5.**
**De propria consideratione** *audio: 14.39* **48**

**Capitulum 6.**
**De laetitia bonae conscientiae** *audio: 17.22* **49**

**Capitulum 7.**
**De amore Jesu super omnia** *audio: 20.53* **50**

**Capitulum 8.**
**De familiari amicitia Jesu** *audio: 23.20* **51**

Capitulum 9.
De carentia omnis solatii *audio: 00.12* 52

Capitulum 10.
De gratitudine pro gratia Dei *audio: 07.01* 55

Capitulum 11.
De paucitate amatorum crucis Jesu *audio: 11.44* 56

Capitulum 12.
De regia via sanctae crucis *audio: 15.51* 58

## LIBER TERTIUS
## DE INTERNA CONSOLATIONE

Capitulum 1.
De interna Christi locutione
ad animam fidelem *audio: 00.15* 62

Capitulum 2.
Quod veritas intus loquitur
sine strepitu verborum *audio: 02.14* 63

Capitulum 3.
Quod verba Dei cum humilitate sunt audienda
et quod multi ea non ponderant *audio: 05.02* 64

Capitulum 4.
Quod in veritate et humilitate
coram Deo conversandum est *audio: 10.27* 66

Capitulum 5.
De mirabili affectu divini amoris *audio: 14.18* 67

Capitulum 6.
De probatione veri amatoris *audio: 20.35* 69

Capitulum 7.
De occultanda gratia sub humilitatis custodia *audio: 00.13* 71

Capitulum 8.
De vili aestimatione sui ipsius in oculis Dei *audio: 05.37* 73

Capitulum 9.
Quod omnia ad Deum
sicut ad finem ultimum sunt referenda *audio: 08.15* 74

Capitulum 10.
Quod spreto mundo dulce est servire Deo *audio: 10.52* 75

Capitulum 11.
Quod desideria cordis examinanda sunt
et moderanda *audio: 15.34* 76

Capitulum 12.
De informatione patientiae
et luctamine adversus concupiscentias *audio: 18.01* 77

**Capitulum 13.**
**De obedientia humili subditi**
**ad exemplum Jesu Christi** *audio: 21.54* **78**

**Capitulum 14.**
**De occultis Dei judiciis considerandis,**
**ne extollamur in bonis** *audio: 24.51* **79**

**Capitulum 15.**
**Qualiter standum sit ac dicendum**
**in omni re desiderabili** *audio: 00.12* **80**

**Capitulum 16.**
**Quod verum solatium**
**in solo Deo est quaerendum** *audio: 03.43* **82**

**Capitulum 17.**
**Quod omnis sollicitudo**
**in Deo statuenda sit** *audio: 03.43* **83**

**Capitulum 18.**
**Quod temporales miseriae**
**exemplo Christi aequanimiter sunt ferendae** *audio: 08.24* **83**

**Capitulum 19.**
**De tolerantia injuriarum,**
**et quis verus patiens probetur** *audio: 11.23* **84**

**Capitulum 20.**
**De confessione propriae infirmitatis,**
**et hujus vitae miseriis** *audio: 15.02* **86**

**Capitulum 21.**
**Quod in Deo super omnia bona et dona**
**requiescendum est** *audio: 19.00* **87**

**Capitulum 22.**
**De recordatione multiplicium beneficiorum Dei** *audio: 24.52* **89**

**Capitulum 23.**
**De quatuor magnam importantibus pacem** *audio: 00.10* **91**

**Capitulum 24.**
**De evitatione curiosae inquisitionis**
**super alterius vita** *audio: 04.35* **92**

**Capitulum 25.**
**In quibus firma pax cordis**
**et verus profectus consistit** *audio: 06.27* **93**

**Capitulum 26.**
**De eminentia liberae mentis**
**quam supplex oratio magis meretur quam lectio** *audio: 09.55* **94**

**Capitulum 27.**
**Quod privatus amor**
**a summo bono maxime retardat** *audio: 12.54* **95**

**Capitulum 28.**
**Contra linguas obtrectatorum** *audio: 16.58* **96**

**Capitulum 29.**
**Qualiter, instante tribulatione,**
**Deus invocandus est et beneciciendus** ***audio: 18.11*** **97**

**Capitulum 30.**
**De divino petendo auxilio,**
**et confidentia recuperandae gratiae** ***audio: 20.14*** **98**

**Capitulum 31.**
**De neglectu omnis creaturae**
**ut Creator possit inveniri** ***audio: 00.11*** **99**

**Capitulum 32.**
**De abnegatione sui**
**et abdicatione omnis cupiditatis** ***audio: 04.37*** **101**

**Capitulum 33.**
**De instabilitate cordis,**
**et de intentione finali ad Deum habenda** ***audio: 07.23*** **102**

**Capitulum 34.**
**Quod amanti sapit Deus**
**super omnia et in omnibus** ***audio: 09.27*** **103**

**Capitulum 35.**
**Quod non est securitas a tentatione**
**in hac vita** ***audio: 13.04*** **104**

**Capitulum 36.**
**Contra vana hominum judicia** ***audio: 16.21*** **105**

**Capitulum 37.**
**De pura et integra resignatione sui**
**ad obtinendam cordis libertatem** ***audio: 19.02*** **106**

**Capitulum 38.**
**De bono regimine in externis**
**et recursu ad Deum in periculis** ***audio: 21.41*** **107**

**Capitulum 39.**
**Quod homo non sit importunus in negociis** ***audio: 00.12*** **108**

**Capitulum 40**
**Quod homo nihil boni ex se habet**
**et de nullo gloriari potest** ***audio: 01.48*** **108**

**Capitulum 41.**
**De contemptu omnis temporalis honoris** ***audio: 06.16*** **110**

**Capitulum 42.**
**Quod pax non est ponenda in hominibus** ***audio: 07.41*** **110**

**Capitulum 43.**
**Contra vanam et saecularem scientiam** ***audio: 09.51*** **111**

**Capitulum 44.**
**De non attrahendo sibi res exteriores** ***audio: 13.10*** **112**

**Capitulum 45.**
**Quod omnibus non est credendum**
**et de facili lapsu verborum** ***audio: 14.33*** **113**

**Capitulum 46.**
**De confidentia in Deo habenda**
**quando insurgunt verborum jacula** ***audio: 19.37*** **114**

**Capitulum 47.**
**Quod omnia gravia**
**pro aeterna vita sunt toleranda** ***audio: 24.42*** **116**

**Capitulum 48.**
**De die aeternitatis**
**et hujus vitae angustiis** ***audio: 00.13*** **117**

**Capitulum 49.**
**De desiderio aeternae vitae,**
**et quanta sint certantibus bona promissa** ***audio: 06.18*** **119**

**Capitulum 50.**
**Qualiter homo desolatus**
**debet se in manus Dei offerre** ***audio: 13.42*** **122**

**Capitulum 51.**
**Quod humilibus insistendum est operibus**
**cum deficitur a summis** ***audio: 20.54*** **124**

**Capitulum 52.**
**Quod homo non reputet se consolatione dignum,**
**sed magis verberibus reum** ***audio: 22.40*** **124**

**Capitulum 53.**
**Quod gratia Dei non miscetur terrena sapientibus** ***audio: 26.25*** **126**

**Capitulum 54.**
**De diversis motibus naturae et gratiae** ***audio: 00.12*** **127**

**Capitulum 55.**
**De corruptione naturae**
**et efficacia gratiae divinae** ***audio: 06.04*** **129**

**Capitulum 56.**
**Quod nos ipsos abnegare et Christum imitari**
**debemus per crucem** ***audio: 14.16*** **131**

**Capitulum 57.**
**Quod homo non sit nimis dejectus**
**quando in aliquos labitur defectus** ***audio: 18.17*** **133**

**Capitulum 58.**
**De altioribus rebus et occultis judiciis Dei**
**non scrutandis** ***audio: 21.48*** **134**

**Capitulum 59.**
**Quod omnis spes et fiducia**
**in solo Deo est figenda** ***audio: 31.04*** **136**

## LIBER QUARTUS
## DE DEVOTA EXHORTATIONE
## AD SACRAM CORPORIS CHRISTI COMMUNIONEM

**Capitulum 1.**
**Cum quanta reverentiae**
**Christus sit suscipiendus** *audio: 00.10* **138**

**Capitulum 2.**
**Quod magna bonitas et caritas Dei**
**in Sacramento homini exhibetur** *audio: 12.10* **142**

**Capitulum 3.**
**Quod utile sit saepe communicare** *audio: 18.02* **144**

**Capitulum 4.**
**Quod multa praestantur devote communicantibus** *audio: 23.05* **146**

**Capitulum 5.**
**De dignitate Sacramenti**
**et statu sacerdotali** *audio: 29.43* **148**

**Capitulum 6.**
**Interrogatio de exercitio ante communionem** *audio: 00.13* **149**

**Capitulum 7.**
**De discussione propriae conscientiae**
**et emendationis proposito** *audio: 00.12* **149**

**Capitulum 8.**
**De oblatione Christi in cruce,**
**et propria resignatione** *audio: 06.02* **151**

**Capitulum 9.**
**Quod nos et omnia nostra Deo debemus offerre,**
**et pro omnibus orare** *audio: 08.30* **152**

**Capitulum 10.**
**Quod sacra communio**
**de facili non est reliquenda** *audio: 13.28* **153**

**Capitulum 11.**
**Quod Corpus Christi et sacra Scriptura**
**maxime sint animae fideli necessaria** *audio: 19.42* **156**

**Capitulum 12.**
**Quod magna diligentia**
**se debeat communicaturus Christo praeparare** *audio: 27.52* **158**

**Capitulum 13.**
**Quod toto corde anima devota Christi**
**unionem in Sacramento affectare debet** *audio: 00.10* **160**

**Capitulum 14.**
**De quorundam devotorum**
**ardenti desiderio ad Corpus Christi** *audio: 03.59* **161**

**Capitulum 15.**
**Quod gratia devotionis**
**humilitate et sui ipsius abnegatione acquiritur** ***audio: 07.11*** **162**

**Capitulum 16.**
**Quod necessitates nostras**
**Christo aperire et ejus gratiam postulare debemus** ***audio: 10.47*** **163**

**Capitulum 17.**
**De ardenti amore**
**et vehementi affectu suscipiendi Christum** ***audio: 13.32*** **164**

**Capitulum 18.**
**Quod homo non sit curiosus scrutator Sacramenti**
**sed humilis imitator Christi,**
**subdendo sensum suum sacrae fidei** ***audio: 18.39*** **166**

## Liber primus
## Admonitiones ad vitam spiritualem utiles

### Capitulum 1.
### De imitatione Christi
### et contemptu omnium vanitatum mundi *audio: 00.38*

**1.** ***« Qui sequitur me non ambulant in tenebris »***, ***(Joh 8 : 12)***
**dicit Dominus.**
**Haec sunt verba Christi quibus admonemur**
**quatenus vitam eius et mores imitemur,**
**si velimus veraciter illuminari**
**et ab omni caecitate cordis liberari.**
**Summum igitur studium nostrum sit**
**in vita Jesu meditari.**

**2. Doctrina Christi omnes doctrinas sanctorum praecellit,**
**et qui spiritum haberet**
**absconditum ibi manna inveniret.**
**Sed contingit quod multi, ex frequenti auditu Evangelii,**
**parvum desiderium sentiunt,**
**quia spiritum Christi non habent.**
**Qui autem vult plene et sapide Christi verba intelligere,**
**oportet ut totam vitam suam illi studeat conformare.**

**3. Quid prodest tibi alta de Trinitate disputare**
**si careas humilitate,**
**unde displiceas Trinitati?**
**Vere alta verba non faciunt sanctum et justum,**
**sed virtuosa vita efficit Deo carum.**
**Opto magis sentire compunctionem**
**quam scire ejus definitionem.**
**Si scires totam Bibliam exterius**
**et omnium philosophorum dicta,**
**quid totum prodesset sine caritate dei et gratia?**
***Vanitas vanitatum, et omnia vanitas*** ***(Ecc 1: 2)***
**praeter amare Deum et illi soli servire.**
**Ista est summa sapientia:**
**per contemptum mundi tendere ad regna caelestia.**

**4. Vanitas igitur est divitias perituras quaerere,**
**et in illis sperare.**
**Vanitas quoque est honores ambire**
**et in altum statum se extollere.**
**Vanitas est carnis desideria sequi**
**et illud desiderare unde postmodum graviter oportet puniri.**

**Vanitas est longam vitam optare -**
**et de bona vita parum curare.**
**Vanitas est praesentem vitam solum attendere -**
**et quae futura sunt non praevidere.**
**Vanitas est diligere quod cum omni celeritate transit -**
**et illic non festinare ubi sempiternum gaudium manet.**

**5. Memento illius frequenter proverbii:**
***« Quia non satiatur oculus visu***
***nec auris impletur auditu ».*** *(Eccl 1 : 8)*
**Stude ergo cor tuum ab amore visibilium abstrahere**
**et ad invisiblia te transferre.**
**Nam sequentes suam sensualitatem maculant conscientiam**
**et perdunt Dei gratiam.**

## Capitulum 2.
## De humili sentire sui ipsius *audio: 4.09*

**1. Omnis homo naturaliter scire desiderat -**
**Sed scientia sine timore Dei,**
**quid importat?**
**Melior est profecto humilis rusticus**
**qui Deo servit,**
**quam superbus philosophus**
**qui, se neglecto, cursum caeli considerat.**
**Qui bene se ipsum cognoscit sibi ipsi vilescit**
**nec laudibus delectatur humanis.**
**Si scirem omnia quae in mundo sunt**
**et non essem in caritate,**
**quid me juvaret coram Deo,**
**qui me judicaturus est ex facto?**

**2. Quiesce a nimio sciendi desiderio,**
**quia magna ibi invenitur distractio et deceptio.**
**Scientes libenter volunt videri et dici sapientes.**
**Multa sunt quae scire parum vel nihil animae prosunt.**
**Et valde insipiens est**
**qui aliquibus intendit quam his quae saluti suae deserviunt.**
**Multa verba non satiant animam,**
**sed bona vita refrigerat mentem**
**et pura conscientia magnam ad Deum praestat confidentiam.**

**3. Quanto plus et melius scis,**
**tanto gravius inde judicaberis nisi sancte vixeris.**
**Noli ergo extolli de ulla arte vel scientia,**
**sed potius time de data tibi notitia.**
**Si tibi videtur quod multa scis**
**et satis bene intelligis,**
**scito tamen quia sunt multo plura quae nescis.**
***Noli altum sapere,*** *(Ro 11 : 20)*

sed ignorantiam tuam magis fatere.
Quid te vis alicui praeferre,
cum plures doctiores te inveniantur
et magis in lege periti?
Si vis utiliter aliquid scire et discere,
ama nesciri et pro nihilo reputari.

4. Haec est altissima et utilissima lectio:
sui ipsius vera cognitio et despectio.
De se ipso nihil tenere
et de aliis semper bene et alte sentire:
magna sapientia est et perfectio.
Si videres alium aperte peccare
vel aliqua gravia perpetrare,
non deberes te tamen meliorem estimare,
quia nescis quamdiu possis in bono stare.
Omnes fragiles sumus,
sed tu neminem fragiliorem te ipso tenebis.

## Capitulum 3.
## De doctrina veritatis *audio: 7.29*

1. Felix quem Veritas per se docet,
non per figuras et voces transeuntes,
sed sicuti se habet.
Nostra opinio et noster sensus saepe nos fallit
et modicum videt.
Quid prodest magna cavillatio de occultis et obscuris rebus,
de quibus nec arguemur in judicio quia ignoravimus?
Grandis insipientia quod, neglectis utilibus et necessariis,
ultro intendimus curiosis et damnosis.
Oculos habentes, non videmus.
Et quid curae nobis de generibus et speciebus?

2. Cui aeternum Verbum loquitur
a multis opinionibus expeditur.
Ex uno Verbo omnia,
et unum loquuntur omnia
et *Hoc est Principium*
*quod est loquitur nobis*. *(Joh 8 : 25)*
Nemo sine illo intelligit aut recte judicat.
Cui omnia unum sunt
et omnia ad unum trahit et omnia in uno videt
potest stabilis corde esse
et in Deo pacificus permanere.
O veritas Deus!
fac me unum tecum in caritate perpetua.
Taedet mihi saepe multa legere et audire.
In te est totum quod volo et desidero.
Taceant omnes doctores,

**sileant universae creaturae in conspectu tuo.**
**Tu mihi loquere solus.**

**3. Quanto aliquis magis sibi unitus**
**et interius simplificatus fuerit,**
**tanto plura et altiora sine labore intelligit,**
**quia desuper lumen intelligentiae accipit.**
**Purus simplex et stabilis spiritus**
**in multis operibus non dissipatur,**
**quia omnia ad Dei honorem operatur**
**et in se otiosus ab omni propria exquisitione esse nititur.**
**Quis te magis impedit et molestat**
**quam tua immortificata affectio cordis?**
**Bonus et devotus homo**
**opera sua prius intus disponit quae foris agere debet,**
**nec illa trahunt eum ad desideria vitiosae inclinationis**
**sed ipse inflectit ea ad arbitrium rectae rationis.**
**Quis habet fortius certamen**
**quam qui nititur vincere se ipsum?**
**Et hoc deberet esse negotium nostrum:**
**vincere videlicet se ipsum,**
**et quotidie se ipso fortiorem fieri**
**atque in melius aliquid proficere.**

**4. Omnis perfectio in hac vita**
**quamdam imperfectionem sibi habet annexam,**
**et omnis speculatio nostra**
**quadam caligine non caret.**
**Humilis tui cognitio certior via est ad Deum**
**quam profundae scientiae inquisitio.**
**Non est culpanda scientia, aut quaelibet simplex rei notitia**
**- quae bona est in se considerata et a Deo ordinata -**
**sed praeferenda est semper bona conscientia et virtuosa vita.**
**Quia vero plures magis student scire quam bene vivere,**
**ideo saepe errant**
**et paene nullum vel modicum fructum ferunt.**

**5. O! si tantam adhiberent diligentiam**
**ad extirpanda vitia et virtutes inserendas**
**sicuti ad movendas quaestiones,**
**non fierent tanta mala et scandala in populo**
**nec tanta dissolutio in caenobiis.**
**Certe, adveniente die judicii,**
**non quaeretur a nobis quid legimus**
**sed quid fecimus,**
**nec quam bene diximus**
**sed quam religiose viximus.**
**Dic mihi, ubi sunt modo omnes illi domini et magistri**
**quos bene novisti dum adhuc viverent et studiis florerent?**
**Jam eorum praebendas alii possident -**

**et nescio utrum de eis recogitant.**
**In vita sua aliquid esse videbantur**
**et modo de illis tacetur.**

**6. O quam cito transit gloria mundi!**
**Utinam vita eorum scientiae ipsorum concordasset!**
**Tunc bene studuissent et legissent.**
**Quam multi pereunt per vanam scientiam in saeculo,**
**qui parum curant de Dei servitio!**
**Et quia magis eligunt magni esse quam humiles,**
***ideo evanescunt in cognitationibus suis.*** ***(Ro 1 : 21)***
**Vere magnus est qui magnam habet caritatem;**
**vere magnus est qui in se parvus est**
**et pro nihilo omne culmen honoris ducit;**
**vere prudens est qui omnia terrena *arbitratur ut stercora***
***ut Christum lucrifaciat*;** ***(Phil 3 : 8)***
**et vere bene doctus est qui Dei voluntatem facit**
**et suam voluntatem relinquit.**

## Capitulum 4.
## De providentia in agendis *audio: 13.58*

**1. Non est credendum omni verbo nec instinctui,**
**sed caute et longanimiter res est secundum Deum ponderanda.**
**Proh dolor! saepe malum facilius quam bonum**
**de alio creditur et dicitur:**
**ita infirmi sumus.**
**Sed perfecti viri non facile credunt omni enarranti,**
**quia sciunt infirmitatem humanam,**
**ad malum proclivam et in verbis satis labilem.**

**2. Magna sapientia est non esse praecipitem in agendis**
**nec pertinaciter in propriis stare sensibus.**
**Ad hanc etiam pertinet**
**non quibuslibet hominum verbis credere**
**nec audita vel credita mox ad aliorum aures effundere.**

**3. Cum sapiente et consentioso viro consilium habe,**
**et quaere potius a melioribus instrui**
**quam tuas adinventiones sequi.**
**Bona vita facit hominem sapientem secundum Deum**
**et expertum in multis.**
**Quanto quis in se humilior fuerit et Deo subjectior,**
**tanto in omnibus erit sapientior et pacatior.**

## Capitulum 5.
## De lectione sanctarum scripturarum *audio: 15.29*

**1. Veritas est in Scripturis sanctis quaerenda,**

non eloquentia.
Omnis Scriptura sacra eo spiritu debet legi quo facta est.
Quaerere potius debemus utilitatem in Scripturis
quam subtilitatem sermonis.
Ita libenter devotos et simplices libros legere debemus
sicut altos et profundos.
Non te offendat auctoritas scribentis
utrum parvae vel magnae litteraturae fuerit,
sed amor purae veritatis te trahat ad legendum.
Non quaeras quis hoc dixerit
sed quid dicatur attende.

2. Homines transeunt,
sed *veritas Domini manet in aeternum*. *(Ps 117 : 2)*
Sine personarum acceptione
variis modis loquitur nobis Deus.
Curiositas nostra saepe nos impedit in lectione Scripturarum,
cum volumus intelligere et discutere
ubi simpliciter est transeundum.
Si vis profectum haurire
lege humiliter, simpliciter, et fideliter,
nec unquam velis habere nomen scientiae.
Interroga libenter et audi tacens verba sanctorum
nec displiceant tibi parabolae seniorum:
sine causa enim non proferuntur.

## Capitulum 6.
## De inordinatis affectionibus *audio: 17.12*

1. Quandocumque homo aliquid inordinate appetit,
statim in se inquietus fit.
Superbus et avarus nunquam quiescunt;
pauper et humilis spiritu in multitudine pacis conversantur.
Homo qui necdum perfecte in se mortuus est
cito tentatur
et vincitur in parvis et vilibus rebus.
Infirmus in spiritu
et quodammodo adhuc carnalis et ad sensibilia inclinatus
difficulter se potest a terrenis desideriis ex toto abstrahere.
Et ideo saepe habet tristitiam cum se subtrahit,
leviter etiam indignatur si quis ei resistit.

2. Si autem prosecutus fuerit quod concupiscit,
statim ex reatu conscientiae gravatur
quia secutus est passionem suam,
quae nihil juvat ad pacem quam quaesivit.
Resistendo igitur passionibus invenitur vera pax cordis,
non autem eis serviendo.
Non est ergo pax in corde hominis carnalis,
non in homine exterioribus dedito,

sed in fervido et spirituali.

## Capitulum 7.
## De vana spe et elatione fugienda *audio: 18.47*

1. Vanus est qui spem suam ponit in hominibus
aut in creaturis.
Non te pudeat aliis servire amore Jesu Christi
et pauperem in hoc saeculo videri.
Non stes super te ipsum,
sed in Deo spem tuam constitue.
Fac quod in te est
et Deus aderit bonae voluntati tuae.
Non confidas in tua scientia vel astutia cujuscumque viventis,
sed magis in Dei gratia,
qui adjuvat humiles
et de se praesumentes humiliat.

2. Ne glorieris in divitiis si adsunt
nec in amicis quia potentes sunt,
sed in Deo qui omnia praestat
et se ipsum super omnia dare desiderat.
Non te extollas de magnitudine vel pulchritudine corporis,
quae modica infirmitate corrumpitur et defoedatur.
Non placeas tibi ipsi de habilitate aut ingenio tuo.
Ne displiceas Deo,
cujus est totum quidquid boni naturaliter habueris.

3. Non te reputes aliis meliorem -
ne forte coram Deo deterior habearis,
qui scit quid est in homine.
Non superbias de operibus bonis,
quia aliter sunt judicia Dei quam hominum,
cui saepe displicet quod hominibus placet.
Si aliquid boni habueris,
crede de aliis meliora
ut humilitatem conserves.
Non nocet si omnibus te supponas -
nocet autem plurimum si vel uni te praeponas.
Jugis pax cum humili -
in corde autem superbi zelus et indignatio frequens.

## Capitulum 8.
## De cavenda nimia familiaritate *audio: 20.58*

1. Non omni homini reveles cor tuum,
sed cum sapiente et timente Deum
age causam tuam.
Cum juvenibus et extraneis rarus esto,

**cum divitibus noli blandiri,**
**et coram magnatis non libenter appareas.**
**Cum humilibus et simplicibus,**
**cum devotis et morigeratis sociare,**
**et quae aedificationis sunt pertracta.**
**Non sis familiaris alicui mulieri,**
**sed in communi omnes bonas mulieres Deo commenda.**
**Soli Deo et angelis ejus opta familiaris esse**
**et hominum notitiam devita.**

**2. Caritas habenda est ad omnes -**
**sed familiaritas non expedit.**
**Quandoque accidit ut persona ignota ex bona fama lucescat**
**cujus tamen praesentia oculos intuentium offuscat.**
**Putamus aliquando aliis placere ex conjuctione nostra -**
**et incipimus magis displicere ex morum improbitate**
**in nobis considerata.**

## Capitulum 9.
## De obedientia et subjectione *audio: 22.26*

**1. Valde magnum est in obedientia stare,**
**sub praelato vivere**
**et sui juris non esse.**
**Multo tutius est stare in subjectione**
**quam in praelatura.**
**Multi sunt sub obedientia**
**magis ex necessitate quam ex caritate,**
**et illi poenam habent et leviter murmurant.**
**Nec libertatem mentis acquirent**
**nisi ex toto corde propter Deum se subjiciant.**
**Curre hic vel ibi:**
**non invenies quietem**
**nisi in humili subjectione sub regimine praelati.**
**Imaginatio locorum et mutatio multos fefellit.**

**2. Verum est quod unusquisque libenter agit pro sensu suo,**
**et inclinatur ad eos magis qui secum sentiunt.**
**Sed si Deus est inter nos,**
**necesse est ut relinquamus etiam quandoque nostrum sentire**
**propter bonum pacis.**
**Quis est ita sapiens**
**qui omnia plene scire potest?**
**Ergo noli nimis in sensu tuo confidere,**
**sed velis etiam libenter aliorum sensum audire.**
**Si bonum est tuum sentire**
**et hoc ipsum propter Deum dimittis et alium sequeris,**
**magis ex inde proficies.**

**3. Audivi enim saepe:**

« Securius esse audire et accipere consilium
quam dare ».
Potest etiam contingere
ut bonum sit uniuscujusque sentire -
sed nolle aliis acquiescere
cum id ratio aut causa postulat,
signum est superbiae aut pertinaciae.

## Capitulum 10.
## De cavenda superfluitate verborum *audio: 24.42*

1. Caveas tumultum hominum quantum potes.
Multum enim impedit tractatus saecularium gestorum,
etiamsi simplici intentione proferantur.
Cito enim inquinamur vanitate et captivamur.
Vellem me pluries tacuisse
et inter homines non fuisse.
Sed quare tam frequenter loquimur et invicem fabulamur,
cum tamen raro sine laesione conscientiae
ad silentium redimus?
Ideo tam libenter loquimur
quia per multas locutiones ad invicem consolari quaerimus,
et cor diversis cogitationibus fatigatum optamus relevare.
Et multum libenter de his quae multum diligimus vel cupimus
vel quae nobis contraria sentimus,
libet loqui et cogitare -
sed proh dolor! saepe inaniter et frustra.
Nam haec exterior consolatio
interioris et divinae consolationis non modicum detrimentum est.

2. Ideo vigilandum est et orandum,
ne tempus otiose transeat.
Si loqui licet et expedit,
quae aedificabilia sunt loquere.
Malus usus et negligentia profectus nostri
multum facit ad incustodiam oris nostri.
Juvat tamen non parum ad profectum spiritualem
devota spiritualium rerum collatio,
maxime ubi pares animo et spiritu
in Deo sibi sociantur.

## Capitulum 11.
## De pace aquaerenda,
## et zelo proficiendi *audio: 26.42*

1. Multam possemus pacem habere,
si non vellemus nos cum aliorum dictis et factis
et quae ad nostram curam non spectant occupare.
Quomodo potest ille diu in pace manere
qui alienis curis se intermiscet,

qui occasiones forinsecus quaerit,
qui parum vel raro se intrinsecus colligit?
Beati simplices,
quoniam multam pacem habebunt.

2. Quare quidam sanctorum
tam perfecti et contemplativi fuerunt?
Quia omnino se ipsos mortificari
ab omnibus terrenis desideriis studuerunt,
et ideo totis medullis cordis Deo inhaerere
atque libere sibi vacare potuerunt.
Nos nimium occupamur propriis passionibus
et de transitoriis nimis sollicitamur.
Raro etiam unum vitium perfecte vincimus
et ad quotidianum profectum non accendimur:
ideo frigidi et tepidi remanemus.

3. Si essemus nobis ipsis perfecte mortui
et interius minime implicati,
tunc possemus etiam divina sapere
et de caelesti contemplatione aliquid experiri.
Totum et maximum impedimentum est
quia non sumus a passionibus et concupiscentiis liberi
nec perfectam sanctorum viam conamur ingredi.
Quando etiam modicum adversitatis occurit,
nimis cito dejicimur
et ad humanas consolationes convertimur.

4. Si niteremur sicut viri fortes stare in proelio,
profecto auxilium Dominii super nos videremus de caelo.
Ipse enim certantes et de sua gratia sperantes
paratus est adjuvare,
qui nobis certandi occasiones procurat ut vincamus.
Si tantum in istis exterioribus observantiis
profectum religionis ponimus,
cito finem habebit devotio nostra.
Sed ad radicem securim ponamus
ut, purgati a passionibus,
pacificam mentem possideamus.

5. Si omni anno unum vitium extirparemus,
cito viri perfecti efficeremur.
Sed modo e contrario saepe sentimus
ut meliores et puriores in initio conversionis nos fuisse inveniamus
quam post multos annos professionis.
Fervor et profectus quotidie deberet crescere,
sed nunc pro magno videtur
si quis primi fervoris partem posset retinere.
Si modicam violentiam faceremus in principio,
tunc postea cuncta possemus facere cum levitate et gaudio.

6. Grave est assueta dimittere -
sed gravius est contra propriam voluntatem ire.
Sed, si non vincis parva et levia,
quando superabis difficiliora?
Resiste in principio inclinationi tuae
et malam dedisce consuetudinem,
ne forte paulatim ad majorem te ducat difficultatem.
O, si adverteres quantum tibi pacem et aliis laetitiam faceres
te ipsum bene habendo,
puto quod sollicitior esses ad spiritualem profectum!

## Capitulum 12.
## De utilitate adversitatis *audio: 00.12*

1. Bonum nobis est
quod aliquando habeamus aliquas gravitates et contrarietates,
quia saepe hominem ad cor revocant
quatenus se in exilio esse cognoscat
nec spem suam in aliqua mundi re ponat.
Bonum est quod patiamur quandoque contradictiones
et quod male et imperfecte de nobis sentiatur,
etiamsi bene agimus et intendimus.
Ista saepe juvant ad humilitatem
et a vana gloria nos defendunt.
Tunc enim melius interiorem testem Deum quaerimus
quando foris vilipendimur ab hominibus
et non bene nobis creditur.

2. Ideo deberet se homo in Deo taliter firmare
ut non esset ei necesse multas humanas consolationes quaerere.
Quando homo bonae voluntatis tribulatur vel tentatur
aut malis cogitationibus affligitur,
tunc Deum sibi magis necessarium intelligit,
sine quo nihil boni se posse deprehendit.
Tunc etiam tristatur, gemit et orat
pro miseriis quas patitur.
Tunc taedet eum diutius vivere
et mortem optat venire,
ut possit *dissolvi et cum Christo esse*. *(Phil 1 : 23)*
Tunc etiam bene advertit
perfectam securitatem et plenam pacem
in mundo non posse constare.

## Capitulum 13.
## De tentationibus resistendis *audio: 02.14*

1. Quamdiu in mundo vivimus
sine tribulatione et tentatione esse non possumus.
Unde in Job scriptum est:

**« *Tentatio est vita homina super terram* ».** ***(Jb 7 : 1)***
**Ideo unusquisque sollicitus esse deberet circa tentationes suas**
**et vigilare in orationibus,**
**ne diabolus locum inveniret decipiendi,**
**qui nunquam dormitat**
**sed *circuit quaerens quem devoret*.** ***(1P 5 : 8)***
**Nemo tam perfectus est et sanctus**
**qui non habeat aliquando tentationes,**
**et plene eis carere non possimus.**

**2. Sunt tamen tentationes hominibus saepe valde utiles,**
**licet molestae sint et graves,**
**quia in his homo humiliatur,**
**purgatur et eruditur.**
**Omnes sancti per multas tribulationes et tentationes**
**transierunt et profecerunt -**
**et qui tentationes sustinere nequiverunt**
**reprobi facti sunt et defecerunt.**
**Non est aliquis ordo tam sanctus**
**nec locus tam secretus,**
**ubi non sint tentationes vel adversitates.**

**3. Non est homo securus a tentationibus totaliter**
**quamdiu vixerit,**
**quia in nobis est unde tentamur,**
**ex quo in concupiscentia nati sumus.**
**una tentatione seu tribulatione recedente**
**alia supervenit,**
**et semper aliquid ad patiendum habebimus**
**nam bonum felicitatis nostrae perdidimus.**
**Multi quaerunt tentationes fugere**
**et gravius incidunt in eas.**
**Per solam fugam non possumus vincere,**
**sed per patientiam et veram humilitatem**
**omnibus hostibus efficimur fortiores.**

**4. Qui tantummodo exterius declinat nec radicem evellit**
**parum proficiet:**
**imo citius ad eum tentationes redient et pejus sensiet.**
**Paulatim, et per patientiam cum longanimitate,**
**Deo juvante, melius superabis**
**quam cum duritia et importunitate propria.**
**Saepius accipe consilium in tentatione**
**et cum tentato noli duriter agere,**
**sed consolationes ingere**
**sicut tibi optares fieri.**

**5. Initium omnium malarum tentationum**
**inconstantia animi et parva ad Deum confidentia,**
**quia sicut navis sine gubernaculo**
**hinc inde a fluctibus impellitur,**

ita homo remissus et suum propositum deserens
varie tentatur.
Ignis probat ferrum
et tentatio hominem justum.
Nescimus saepe quid possumus,
sed tentatio aperit quid sumus.
Vigilandum est tamen,
praecipue circa initium tentationis,
quia tunc facilius hostis vincitur
si ostium mentis nullatenus intrare sinitur,
sed extra limen statim ut pulsaverit, illi obviatur.
Unde quidam dixit:
« Principiis obsta,
sero medicina paratur ».
Nam primo occurrit menti simplex cogitatio,
deinde fortis imaginatio,
postea delectatio, et motus pravus et assensio.
Sicque paulatim ingreditur hostis malignus ex toto
dum illi non resistitur in pricipio.
Et quanto diutius ad resistendum quis torpuerit,
tanto in se quotidie debilior fit
et hostis contra eum potentior.

6. Quidam in principio conversionis suae
graviores tentationes patiuntur,
quidam autem in fine,
quidam vero quasi per totam vitam suam male habent.
Nonnulli satis leviter tentantur,
secundum divinae ordinationis sapientiam et aequitatem,
quae statum et merita hominum pensat
et cuncta ad electorum suorum salutem praeordinat.

7. Ideo non debemus desperare cum tentamur,
sed eo ferventius Deum exorare,
quatenus nos in omni tribulatione dignetur adjuvare,
qui utique, secundum dictum Pauli,
*« talem faciet cum tentatione proventum,*
*ut possimus sustinere ».* *(1 Co 10 : 13)*
*Humiliemus ergo animas nostras sub manu Dei* *(1 Pi 5 : 6)*
in omni tentatione et tribulatione,
quia humiles spiritu salvabit et exaltabit.

8. In tentationibus et tribulationibus probatur homo
quantum profecit,
et ibi majus meritum consistit
et virtus melius patescit.
Nec magnum est si homo devotus sit et fervidus
cum gravitatem non sentit -
sed si tempore adversitatis patienter se sustinet,
spes magni profectus erit.
Quidam a magnis tentationibus custodiuntur

et in parvis quotidianis tam saepe vincuntur,
ut, humiliati, nunquam de se ipsis in magnis confidant,
qui in tam modicis infirmantur.

## Capitulum 14.
## De temerario judicio vitando *audio: 08.24*

1. Ad te ipsum oculos reflecte
et aliorum facta caveas judicare.
In judicando alios homo frustra laborat,
saepius errat, et leviter peccat -
se ipsum vero judicando et discutiendo
semper fructuose laborat.
Sicut nobis res cordi est
sic de ea frequenter judicamus.
Nam verum judicium propter privatum amorem
faciliter perdimus.
Si Deus semper esset pura intentio nostri desiderii,
non tam faciliter turbaremur pro resistentia sensus nostri.

2. Sed saepe aliquid ab intra latet
vel etiam ab extra concurrit,
quod nos etiam pariter trahit.
Multi occulte se ipsos quaerunt in rebus quas agunt,
et nesciunt.
Videntur etiam in bona pace stare
quando res pro eorum velle fiunt et sentire -
si  autem aliter fit quam cupiunt,
cito moventur et tristes fiunt.
Propter diversitatem sensuum et opinionum
satis frequenter oriuntur dissensiones inter amicos et cives,
inter religiosos et devotos.

3. Antiqua consuetudo difficulter relinquitur,
et ultra proprium videre nemo libenter ducitur.
Si rationi tuae magis inniteris vel industriae
quam virtuti subjectivae Jesu Christi,
raro et tarde eris homo illuminatus,
quia Deus vult nos sibi perfecte subjicii
et omnem rationem per inflammatum amorem transcendere.

## Capitulum 15.
## De operibus ex caritate factis *audio: 10.32*

1. Pro nulla re mundi et pro nullius hominis dilectione
aliquod malum est faciendum -
sed pro utilitate tamen indigentis
opus bonum libere aliquando intermittendum est
aut etiam pro meliori mutandum.
Hoc enim facto opus bonum non destruitur

**sed in melius commutatur.**
**Sine caritate opus externum nihil prodest.**
**Quicquid autem ex caritate agitur,**
**quantumcumque etiam parvum sit et despectum,**
**totum fructuosum efficitur.**
**Magis siquidem Deus pensat ex quanto quis agit**
**quam opus quod facit.**

**2. Multum facit qui multum diligit.**
**Multum facit qui rem bene facit.**
**Bene facit qui communitati magis quam suae voluntati servit.**
**Saepe videtur esse caritas -**
**et est magis carnalitas:**
**quia naturalis inclinatio, propria voluntas, spes retributionis,**
**affectus commoditatis raro abesse volunt.**

**3. Qui veram et perfectam caritatem habet**
**in nulla re se ipsum quaerit,**
**sed Dei solummodo gloriam in omnibus fieri desiderat.**
**Nulli etiam invidet**
**quia nullum privatum gaudium amat,**
**nec in se ipso vult gaudere**
**sed in Deo super omnia bona optat beatificari.**
**Nemini aliquid boni attribuit**
**sed totaliter ad Deum refert,**
**a quo fontaliter omnia procedunt,**
**in quo finaliter omnes sancti fruibiliter requiescunt.**
**O! qui scintillam haberet verae caritatis**
**profecto omnia terrena sentiret plena fore vanitatis!**

## Capitulum 16.
## De sufferentia defectuum aliorum *audio: 12.50*

**1. Quae homo in se vel in aliis emendare non valet**
**debet patienter sustinere,**
**donec Deus aliter ordinet.**
**Cogita quia sic forte melius est pro tua probatione et patientia,**
**sine qua non sunt multum ponderanda merita nostra.**
**Debes tamen pro talibus impedimentis supplicare,**
**ut Deus tibi dignetur subvenire**
**et possis benigne portare.**

**2. Si quis semel aut bis admonitus non acquiescit,**
**noli cum eo contendere -**
**sed totum Deo committe,**
**ut fiat voluntas ejus et honor in omnibus servis suis,**
**qui scit bene mala in bonum convertere.**
**Stude patiens esse in tolerando aliorum defectus**
**et qualescumque infirmitates,**
**quia et tu multa habes quae ab aliis oportet tolerari.**

Si non potes te talem facere qualem vis,
quomodo poteris alium ad tuum habere beneplacitum?
Libenter habemus alios perfectos -
sed tamen proprios non emendamus defectus.

3. Volumus quod alii stricte corrigantur -
et ipsi corrigi nolumus.
Displicet larga aliorum licientia -
et tamen nobis nolumus negari quod petimus.
Alios restringi per statuta volumus -
et ipsi nullatenus patimur amplius cohiberi.
Sic ergo patet quam raro proximum sicut nos ipsos pensamus.
Si essent omnes perfecti,
quid tunc haberemus ab aliis pro Deo pati?

4. Nunc autem Deus sic ordinavit
ut *« discamus alter alterius onera portare »*. *(Ga 6 : 2)*
Quia nemo sine defectu, nemo sine onere,
nemo sibi sufficiens, nemo sibi satis sapiens -
sed oportet nos invicem portare, invicem consolari,
pariter adjuvare, instruere et admonere.
Quantae autem virtutis quisque fuerit
melius patet occasione adversitatis.
Occasiones namque hominem fragilem non faciunt
sed qualis sit ostendunt.

## Capitulum 17.
## De monastica vita *audio: 15.40*

1. Oportet quod discas te ipsum in multis frangere
si vis pacem et concordiam cum aliis tenere.
Non est parvum in monasteriis vel in congregatione habitare,
et in illis sine querela conversari
et usque ad mortem fidelis perseverare.
Beatus qui ibidem bene vixerit
et feliciter consummaverit!
Si vis debite stare et proficere,
teneas te tanquam exulem et peregrinum super terram.
Oportet te stultum fieri propter Christum
si vis religiosam ducere vitam.

2. Habitus et tonsura modicum confert,
sed mutatio morum et integra mortificatio passionum
verum faciunt religiosum.
Qui aliud quaerit quam pure Deum et animae suae salutem,
non inveniet nisi tribulationem et dolorem.
Non potest etiam diu stare pacificus
qui non nititur esse minimus et omnibus subjectus.
Ad serviendum venisti - non ad regendum,
ad patiendum et laborandum scias te vocatum -

non ad otiandum vel fabulandum.
Hic ergo probantur homines
sicut aurum in fornace.
Hic nemo potest stare
nisi ex toto corde si voluerit propter Deum humiliare.

## Capitulum 18.
## De exemplis sanctorum patrum *audio: 17.25*

1. Intuere sanctorum patrum vivida exempla,
in quibus vera perfectio refulsit et religio -
et videbis quam modicum sit et vere nihil
quod nos agimus.
Heu! quid est vita nostra
si illis fuerit comparata?
Sancti et amici Christi
Dominum servierunt in fame et siti,
in frigore et nuditate, in labore et fatigatione,
in vigiliis et jejuniis,
in orationibus et meditationibus sanctis,
in persecutionibus et opprobriis multis.

2. O quam multas et graves tribulationes passi sunt
apostoli, martyres, confessores, virgines
et reliqui omnes,
qui Christi vestigia voluerunt sequi!
Nam *« animas suas in hoc mundo oderunt*
*ut in aeternam vitam eas possiderent »*. *(Joh 12 : 25)*
O quam strictam et abdicatam vitam
sancti patres in eremo duxerunt,
quam longas et graves tentationes pertulerunt!
Quam frequenter ab inimico vexati sunt,
quam crebras et fervidas orationes Deo obtulerunt!
Quam rigidas abstinentias peregerunt!
Quam magnum zelum et fervorem
ad spiritualem profectum habuerunt!
Quam forte bellum
adversus edomationem vitiorum gesserunt,
quam puram et rectam intentionem ad Deum tenuerunt!
Per diem laborabant
et noctibus orationi diutinae vacabant;
quamquam laborando,
ab oratione mentali minime cessarent.

3. Omne tempus utiliter expendebant,
omnis hora ad vacandum Deo brevis videbatur.
Et prae magna dulcedine contemplationis
etiam oblivioni tradebatur necessitas corporalis refectionis.
Omnibus divitiis, dignitatibus, honoribus,
amicis et cognatis renuntiabant.

**Nihil de mundo habere cupiebant,**
**vix necessaria vitae sumebant,**
**corpori servire etiam in necessitate dolebant.**
**Pauperes igitur erant rebus terrenis**
**sed divites valde in gratia et virtutibus.**
**Foris egebant**
**sed intus gratia et consolatione divina reficiebantur.**

**4. Mundo erant alieni**
**sed Deo proximi ac familiares amici.**
**Sibi ipsis videbantur tanquam nihili**
**et huic mundo despecti -**
**sed erant in oculis Dei praetiosi et dilecti.**
**In vera humilitate stabant,**
**in simplici obedientia vivebant.**
**In caritate et patientia ambulabant:**
**et ideo quotidie in spiritu proficiebant**
**et magnam apud Deum gratiam obtinebant.**
**Dati sunt in exemplum omnibus religiosis,**
**et plus provocare nos debent ad bene proficiendum**
**quam tepidorum numerus ad relaxandum.**

**5. O, quantus fervor omnium religiosorum**
**in principio suae sanctae institutionis fuit!**
**O, quanta devotio orationis,**
**quanta aemulatio virtutis!**
**Quam magna disciplina viguit,**
**quanta reverentia et obedientia**
**sub regula magistri in omnibus floruit!**
**Testantur adhuc vestigia derelicta**
**quod vere viri sancti et perfecti fuerunt,**
**qui tam strenue militantes mundum suppeditaverunt.**
**Jam magnus putatur si quis transgressor non fuerit,**
**si quis quod accepit cum patientia tolerare potuerit.**

**6. O, tepor et negligentia status nostri,**
**quod tam cito declinamus a pristino fervore**
**et jam taedet vivere prae lassitudine et tepore!**
**Utinam in te penitus non dormiret profectus virtutum,**
**qui multa saepius exempla vidisti devotorum.**

## Capitulum 19.
## De exercitiis boni religiosi ***audio: 22.10***

**1. Vita boni religiosi omnibus virtutibus pollere debet,**
**ut sit talis interius**
**qualis videtur hominibus exterius.**
**Et merito multo plus debet esse intus**
**quam quod cernitur foris:**
**quia inspector noster est Deus,**

**quem summopere revereri debemus ubicumque fuerimus**
**et tamquam angeli in conspectu ejus mundi incedere.**
**Omni die renovare debemus propositum nostrum**
**et ad fervorem nos excitare,**
**quasi hodie primum ad conversionem venissemus,**
**atque dicere: « Adjuva me, Domine Deus,**
**in bono proposito et sancto servitio tuo,**
**et da mihi nunc hodie perfecte incipere -**
**quia nihil est quod hactenus feci ».**

**2. Secundum propositum nostrum cursus profectus nostri,**
**et multa diligentia opus est bene proficere volenti.**
**Quod, si fortiter proponens saepe deficit,**
**quid ille qui raro aut minus fixe aliquid proponit?**
**Variis tamen modis contingit desertio propositi nostri,**
**et levis omissio exercitiorum vix sine aliquo dispendio transit.**
**Justorum propositum in gratia Dei**
**potius quam in propria patientia pendet,**
**in quo et semper confidunt quidquid arripiunt.**
**Nam *homo proponit sed Deus disponit*,**
***nec est in homine via ejus*. *(Pr 16 : 1, Jr 10 : 23)***

**3. Si pietatis causa aut fraternae utilitatis proposito**
**quandoque consuetum omittitur exercitium,**
**facile postea poterit recuperari.**
**Si autem taedio animi aut negligentia faciliter relinquitur,**
**satis culpabile est et nocivum sentietur.**
**Conemur quantum possumus:**
**adhuc leviter deficiemus in multis.**
**Semper tamen aliquid certi proponendum est**
**et contra illa praecipue quae amplius nos impediunt.**
**Exteriora nostra et interiora**
**pariter nobis scrutanda sunt et ordinanda,**
**quia utraque expediunt ad profectum.**

**4. Si non continue te vales colligere,**
**saltem interdum, et ad minus semel in die,**
**mane videlicet aut vespere.**
**Mane propone,**
**vespere discute mores tuos:**
**qualis hodie fuisti in verbo, opere et cogitatione,**
**quia in his saepius forsitan Deum offendisti et proximum.**
**Accinge te sicut vir contra diabolicas nequitia;**
**fraena gulam,**
**et omnem carnis inclinationem facilius fraenabis.**
**Numquam sis ex toto otiosus:**
**sed aut legens, aut scribens,**
**aut orans, aut meditans,**
**aut aliquid utilitatis pro communi laborans.**
**Corporalia tamen exercitia discrete sunt agenda,**

nec omnibus aequaliter assumenda.

5. Quae communia non sunt non sunt foris ostendenda,
nam in secreto tutius exercentur privata;
Cavendum tamen ne piger sis ad communia
et ad singularia promptior -
sed expletis integre et fideliter debitis et injunctis,
si jam ultra vacat, redde te tibi
prout tua devotio desiderat.
Non possunt omnes habere unum exercitium:
sed aliud isti, aliud illi magis deservit.
Etiam pro temporis congruentia diversa placent exercitia,
quia alia in festis, alia in feriatis
magis sapiunt diebus.
Aliis indigemus tempore tentationis,
et aliis tempore pacis et quietis.
Alia cum tristamur libet cogitare,
et alia cum laeti in Domino fuerimus.

6. Circa principalia festa renovanda sunt bona exercitia
et sanctorum suffragia ferventius imploranda.
De festo in festum proponere debemus
quasi tunc de hoc saeculo migraturi
et ad aeternum festum perventuri.
Ideoque sollicite nos praeparare debemus in devotis temporibus,
et devotius conversari
atque omnem observantiam strictius custodire,
tanquam in brevi praemium laboris nostri a Deo percepturi.

7. Et si dilatum fuerit,
credamus nos minus bene praeparatos
atque indignos tantae adhuc gloriae,
quae revelabitur in nobis tempore praefinito,
et studeamus nos melius ad exitum praeparare.
*« Beatus servus »*, ait evangelista Lucas,
*« Quem, cum venerit Dominus, invenerit vigilantem.*
*Amen dico vobis,*
*super omnia bona sua constituet eum ».* *(Lc 12 : 43-44)*

## Capitulum 20.
## De amore solitudinis et silentii *audio: 28.07*

1. Quaere aptum tempus vacandi tibi
et de beneficiis Dei frequenter cogita.
Relinque curiosa,
tales perlege materias
quae compunctionem magis praestant quam occupationem.
Si te subtraxeris a superfluis locutionibus et otiosis circuitionibus
nec non a novitatibus et rumoribus audiendis,
invenies tempus sufficiens et aptum

pro bonis meditationibus insistendis.
Maximi sanctorum humana consortia ubi poterant vitabant
et Deo in secreto servire eligebant.

2. Dixit quidam: « Quoties inter homines fui,
minor homo redii ».
Hoc saepius experimur quando diu confabulamur.
Facilius est omnino tacere
quam verbo non excedere.
Facilius est domi latere
quam foris se posse sufficienter custodire.
Qui igitur intendit ad interiora et spiritualia pervenire,
oportet eum cum Jesu a turba declinare.
Nemo secure apparet nisi qui libenter latet.
Nemo secure loquitur nisi qui libenter tacet.
Nemo secure praest nisi qui libenter subest.
Nemo secure praecipit nisi qui bene obedire didicit.
Nemo secure gaudet
nisi bonae conscientiae in se testimonium habeat.

3. Semper tamen sanctorum securitas
plena timoris Dei extitit.
Nec eo minus solliciti et humiles in se fuerunt
quia magnis virtutibus et gratia emicuerunt.
Pravorum autem securitas
ex superbia et praesumptione oritur -
et in fine in deceptionem sui ipsius vertitur.
Nunquam promittas tibi securitatem in hac vita,
quamvis bonus videaris coenobita aut devotus eremita.

4. Saepe meliores in existimatione hominum
gravius periclitati sunt propter suam nimiam confidentiam.
Unde multis utilius est ut non penitus tentationibus careant
sed saepius impugnentur,
ne nimium securi sint,
ne forte in superbiam eleventur,
ne etiam ad exteriores consolationes licentius declinent.
O, qui nunquam transitoriam laetitiam quaereret,
qui nunquam cum mundo se occuparet,
quam bonam conscientiam servaret!
O, qui omnem vanam sollicitudinem amputaret,
et duntaxat salutaria ac divina cogitaret
et totam spem suam in Domino constitueret,
quam magnam pacem et quietem possideret!

5. Nemo dignus est caelesti consolatione
nisi diligenter se exercuerit in sancta compunctione.
Si vis corde tenus compungi,
intra cubiculum tuum et exclude tumultus mundi.
Sicut scriptum est:

*« In cubilibus vestris compungimini ».* *(Ps 4 : 5)*
In cella invenies quod de foris saepius amittes.
Cella continuata dulcescit
et male custodita taedium generat.
Si in principio convertionis tuae bene eam incolueris et custodieris,
erit tibi postea dilecta amica et gratissimum solatium.

6. In silentio et quiete proficit anima devota
et discit abscondita Scripturarum.
Ibi invenit fluenta lacrymarum
quibus singulis noctibus se lavet et mundet,
ut Conditori suo tanto familiarior fiat
quanto longius ab omni saeculari tumultu degit.
Qui ergo se substrahit a notis et amicis
approximabit illi Deus cum angelis sanctis.
Melius est latere et sui curam agere
quam se neglecto signa facere.
Laudabile est homini religioso raro foras ire,
fugere videri, nolle etiam homines videre.

7. Quid vis videre quod non licet habere?
*Transit mundus et concupiscentia ejus.* *(1 Joh 2 : 17)*
Trahunt desideria sensualitatis ad spatiandum -
sed cum hora transierit,
quid nisi gravitatem conscientiae et cordis dispersionem reportas?
Laetus exitus tristem saepe reditum parit
et laeta vigilia serotina triste mane facit.
Sic omne carnale gaudium blande intrat -
sed in fine mordet et perimit.

8. Quid potes alibi videre
quod hic non vides?
Ecce cielum et terram, et omnia elementa:
nam ex isti omnia sunt facta.
Quid potes alicubi videre
quod diu potest sub solem permanere ?
Credis te forsitan satiari -
sed non poteris pertingere.
Si cuncta videres praesentia,
quid esset, nisi visio vana?
Leva oculos tuos ad Deum in excelsis
et ora pro peccatis tuis et negligentiis.
Dimitte vana vanis,
tu autem intende illis quae tibi praecepit Deus.
Claude super te ostium tuum
et voca ad te Jesum dilectum tuum.
Mane cum eo in cella,
quia non invenies alibi tantam pacem.
Si non exisses nec quidquam de rumoribus audisses
melius in bona pace permansisses.

Ex quo nova delectat aliquando audire
oportet te exinde turbationem cordis tolerare.

## Capitulum 21.
## De compunctione cordis *audio: 00.11*

1. Si vis aliquid proficere,
conserva te in timore Dei
et noli esse nimis liber;
sed sub disciplina cohibe omnes sensus tuos
nec ineptae te tradas laetitiae.
Da te ad cordis compunctionem,
et invenies devotionem.
Compunctio multa bona aperit
quae dissolutio cito perdere consuevit.
Mirum est quod homo potest unquam perfecte in hac vita laetari,
qui suum exilium et tam multa pericula animae suae
considerat et pensat.

2. Propter levitatem cordis et negligentiam defectuum nostrorum
non sentimus animae nostrae dolores,
sed saepe vane ridemus
quando merito flere deberemus.
Non est vera libertas nec bona laetitia
nisi in timore Dei cum bona conscientia.
Felix qui abjicere potest omne impedimentum distractionis
et ad unionem se recolligere sanctae compunctionis.
Felix qui a se abdicat quidquid conscientiam suam maculare potest
vel gravare!
Certa viriliter:
consuetudo consuetudine vincitur.
Si tu scis homines dimittere
ipsi bene te dimittent tua facta facere.

3. Non attrahas tibi res aliorum
nec te implices causis majorum.
Habeas semper oculum super te primum,
et admoneas te ipsum specialiter
prae omnibus tibi dilectis.
Si non habes favorem hominum
noli ex hoc tristari,
sed hoc sit tibi grave
quia non habes te satis bene et circumspecte,
sicut deceret Dei servum et devotum religiosum conversari.
Utilius est saepe et securius
quod homo non habeat multas consolationes in hac vita,
secundum carnem praecipue.
Tamen, quod divinas non habemus aut rarius sentimus,
nos in culpa sumus,
quia compunctionem cordis non quaerimus

**nec vanas et externas omnino abjicimus.**

**4. Cognosce te indignum divina consolatione**
**sed magis dignum multa tribulatione.**
**Quando homo est perfecte compunctus**
**tunc gravis et amarus est ei totus mundus.**
**Bonus homo sufficientem invenit materiam dolendi et flendi:**
**sive enim se considerat, sive de proximo pensat,**
**scit quia nemo sine tribulatione hic vivit;**
**et quanto strictius sese considerat**
**tanto amplius dolet.**
**Materiae justi doloris et internae compunctionis**
**sunt peccata et vitia nostra,**
**quibus ita involuti jacemus**
**ut raro caelestia contemplari valeamus.**

**5. Si frequentius de morte tua**
**quam de longitudine vitae cogitares,**
**non dubium quin ferventius te emendares.**
**Si etiam futuras inferni sive purgatorii poenas cordialiter perpenderes,**
**credo quod libenter laborem et dolorem sustineres**
**et nihil rigoris formidares.**
**Sed quia ad cor ista non transeunt**
**et blandimenta adhuc amamus,**
**ideo frigidi et valde pigri remanemus.**
**Saepe est inopia spiritus**
**unde tam leviter conqueritur miserum corpus.**
**Ora igitur humiliter ad Dominum**
**ut det tibi compunctionis spiritum,**
**et dic cum propheta:**
***« Ciba me, Domine, pane lacrymarum***
***et potum da mihi in lacrymis in mensura ».*** ***(Ps 80 : 6)***

## Capitulum 22.
## De conditione humanae miseriae ***audio: 05.01***

**1. Miser es ubicumque fueris et quocumque te verteris**
**nisi ad Deum te convertas.**
**Quid turbaris quia non succedit tibi sicut vis et desideras?**
**Quis est qui habeat omnia secundum suam voluntatem?**
**Nec ego, nec tu,**
**nec aliquis hominum super terram.**
**Nemo est in mundo sine aliqua tribulatione vel angustia,**
**quamvis rex sit vel papa.**
**Quis est qui melius habet?**
**Utique qui pro Deo aliquid pati valet.**

**2. Dicunt multi imbecilles et infirmi:**
**« Ecce quam bonam vitam ille homo habet,**
**quam dives, quam magnus,**

quam potens et excelsus! »
Sed attende ad caelestia bona
et videbis quod omnia ista temporalia nulla sunt,
sed valde incerta et magis gravantia,
quia nunquam sine solicitudine et timore possidentur.
Non est hominis felicitas habere temporalia ad abundantiam,
sed sufficit ei mediocritas.
Vere miseria est vivere super terram!
Quanto homo voluerit esse spiritualior
tanto praesens vita sit ei amarior,
quia sentit melius et videt clarius
humanae corruptionis defectus.
Nam comedere, bibere,
vigilare, dormire, quiescere, laborare,
et caeteris necessitatibus naturae subjacere
vere magna miseria est et afflictio homini devoto,
qui libenter esset absolutus et liber ab omni peccato.

3. Valde enim gravatur interior homo necessitatibus corporalibus
in hoc mundo.
Unde propheta devote rogat
quatenus liber ab istis esse valeat, dicens:
*« De necessitatibus meis erue me, Domine ».* *(Ps 25 : 17)*
Sed vae non cognoscentibus suam miseriam!
Et amplius vae illis qui diligunt hanc miseram
et corruptibilem vitam!
Nam in tantum quidam hanc amplectuntur
(licet etiam vix necessaria laborando aut mendicando habeant),
ut, si possent hic semper vivere,
de regno Dei nihil curarent.

4. O insani et infideles corde,
qui tam profunde in terrenis jacent
ut nihil nisi carnalia sapiant!
Sed miseri adhuc in fine graviter sentient
quam vile et nihilum erat quod amaverunt.
Sancti autem Dei, et omnes devoti amici Christi
non attenderunt quae carni placuerunt
nec quae in hoc tempore floruerunt.
Sed tota spes eorum et intentio ad aeterna bona anhelabat.
Ferebatur totum desiderium eorum sursum
ad mansura et invisibilia,
ne amore visibilium traherentur ad infima.

5. Noli, frater, amittere confidentiam proficiendi ad spiritualia:
adhuc habes tempus et horam.
Quare vis procrastinare propositum tuum?
Surge, et in instanti incipe, et dic:
« Nunc tempus est faciendi,
nunc tempus est pugnandi,

nunc aptum tempus est emendandi ».
Quando male habes et tribularis
tunc tempus est promerendi.
Oportet *te transire per ignem et aquam*
*antequam venias in refrigerium*. *(Ps 66 : 12)*
Nisi tibi vim feceris
vitium non superabis.
Quamdiu istud fragile corpus gerimus
sine peccato esse non possumus
nec sine taedio et dolore vivere.
Libenter haberemus ab omni miseria quietem -
sed quia per peccatum perdidimus innocentiam,
amisimus etiam veram beatitudinem.
Ideo oportet nos tenere patientiam
et Dei exspectare misericordiam,
donec *transeat iniquitas haec*
et *mortalitas absorbeatur a vita*. *(Ps 57 : 2, 2 Co 5 : 4)*

6. O quanta fragilitas humana,
quae semper prona est ad vitia!
Hodie confiteris peccata tua -
et cras iterum perpetras confessa.
Nunc proponis cavere -
et post horam agis quasi nihil proposuisses.
Merito ergo nos ipsos humiliare possumus
nec unquam aliquid magni de nobis sentire,
quia tam fragiles et instabiles sumus.
Cito etiam potest perdi per negligentiam
quod multo labore vix tandem acquisitum est per gratiam.

7. Quid fiet de nobis adhuc in fine,
qui tepescimus tam mane?
Vae nobis si sic volumus declinare ad quietem
quasi jam pax sit et securitas,
cum necdum appareat vestigium verae sanctitatis
in conversatione nostra!
Bene opus esset quod adhuc iterum institueremus
tanquam boni novitii ad mores optimos,
si forte spes esset de aliqua futura emendatione
et majori spirituali profectu.

## Capitulum 23.
## De meditatione mortis *audio: 11.30*

1. Valde cito erit tecum hic factum:
vide aliter quomodo te habeas.
Hodie homo est -
et cras non comparet.
Cum autem sublatus fuerit ab oculis
etiam cito transit a mente.

**O hebetudo et duritia cordis humani,**
**quod solum praesentia meditatur**
**et futura non magis praevidet!**
**Sic te in omni facto et cogitatu deberes tenere**
**quasi hodie esses moriturus.**
**Si bonam conscientiam haberes**
**non multum mortem timeres.**
**Melius esset peccata cavere**
**quam mortem fugere.**
**Si hodie non es paratus,**
**quomodo cras eris?**
**Cras est dies incerta:**
**et quid scis si crastinum habebis?**

**2. Quid prodest diu vivere**
**quando tam parum emendamur?**
**Ha! longa vita non semper emendat**
**sed saepe culpam magis auget.**
**Utinam per unam diem**
**bene essemus conversati in hoc mundo!**
**Multi annos computant conversionis -**
**sed saepe parvus est fructus emendationis.**
**Si formidolosum est mori,**
**forsitan periculosius erit diutius vivere.**
**Beatus qui horam mortis suae semper ante oculos habet**
**et ad moriendum quotidie se disponit.**
**Si vidisti aliquando hominem mori,**
**cogita quia et tu per eandem viam transibis.**

**3. Cum mane fuerit**
**puta te ad vesperum non perventurum.**
**Vespere autem facto**
**mane non audeas tibi polliceri.**
**Semper ergo paratus esto,**
**et taliter vive ut nunquam te imparatum mors inveniat.**
**Multi subito et improvise moriuntur.**
**Nam *hora qua non putatur***
***Filius hominis venturus est*. *(Lc 12 : 40)***
**Quando illa extrema hora venerit,**
**multum aliter sentire incipies de tota vita tua praeterita**
**et valde dolebis quia tam negligens et remissus fuisti.**

**4. Quam felix et prudens qui talis nunc nititur esse in vita**
**qualis optat inveniri in morte.**
**Dabit namque magnam fiduciam feliciter moriendi**
**perfectus contemptus mundi,**
**fervens desiderium in virtutibus proficiendi,**
**amor disciplinae, labor poenitentiae,**
**promptitudo obedientiae, abnegatio sui,**
**et supportatio cujuslibet adversitatis pro amore Christi.**

**Multa bona potes operari dum sanus es -**
**sed infirmatus nescio quid poteris.**
**Pauci ex infirmitate meliorantur:**
**sic et qui multum peregrinantur raro sanctificantur.**

**5. Noli confidere super amicos et proximos**
**nec in futurum tuam differas salutem:**
**quia citius obliviscentur tui homines quam estimas.**
**Melius est nunc tempestive providere et aliquid praemittere**
**quam super aliorum auxilio sperare.**
**Si non es pro te ipso sollicitus modo,**
**quis erit sollicitus pro te in futuro?**
**Nunc tempus est valde praetiosum,**
***nunc sunt dies salutis,***
***nunc tempus acceptabile*. *(2 Co 6 : 2)***
**Sed proh dolor quod hoc utilius non expendis**
**in quo promereri vales unde aeternaliter vivas!**
**Veniet quando unam diem seu horam**
**pro emendatione desiderabis -**
**et nescio an impetrabis.**

**6. Eia, carissime, de quanto periculo te poteris liberare,**
**de quam magno timore eripere,**
**si modo semper timoratus fueris et suspectus de morte!**
**Stude nunc taliter vivere**
**ut in hora mortis valeas potius gaudere quam timere.**
**Disce nunc mori mundo**
**ut tunc incipias vivere cum Christo.**
**Disce nunc omnia contemnere**
**ut tunc possis libere ad Christum pergere.**
**Castiga nunc corpus tuum per poenitentiam**
**ut tunc certam valeas habere confidentiam.**

**7. Ha stulte, quid cogitas te diu victurum**
**cum nullum diem habeas securum?**
**Quam multi decepti sunt**
**et insperate de corpore extracti!**
**Quoties audisti a dicentibus**
**quia ille gladio cecidit, ille submersus est,**
**ille ab alto ruens cervicem fregit,**
**ille manducando obriguit,**
**ille ludendo finem fecit,**
**alius igne, alius ferro, alius peste,**
**alius latrocinio interiit:**
**et sic omnium finis mors est**
**et vita hominum tanquam umbra subito pertransit.**

**8. Quis memorabitur tui post mortem**
**et qui orabit pro te?**
**Age, age nunc, carissime, quidquid agere potes,**

quia nescis quando morieris;
nescis etiam quid tibi post mortem sequetur.
Dum tempus habes
congrega divitias immortales.
Praeter salutem tuam nihil cogites,
solum quae Dei sunt cures.
*Fac nunc tibi amicos* venerando Dei sanctos
et eorum actus imitando,
*ut cum defeceris in hac vita*
*illi te recipiant in aeterna tabernacula*. *(Lc 16 : 9)*

9. Serva te tanquam peregrinum et hospitem super terram,
ad quem nihil spectat de mundi negociis.
Serva cor liberum et ad Deum sursum erectum,
quia *non habes hic manentem civitatem*. *(Heb 13 : 14)*
Illuc preces et gemitus quotidianOs cum lacrymis dirige,
ut spiritus tuus mereatur ad Dominum
post mortem feliciter transire.

## Capitulum 24.
## De judicio et poenis peccatorum *audio: 19.01*

1. In omnibus rebus respice finem
et qualiter ante districtum stabis judicem,
cui nihil est occultum,
qui muneribus non placatur nec excusationes recipit
sed quod justum est judicabit.
O miserrime et insipiens peccator,
quid respondebis Deo omnia mala tua scienti,
qui interdum formidas vultum hominis irati?
Ut quid non praevides tibi in die judicii,
quando nemo poterit per alium excusari vel defendi
sed unusquisque sufficiens onus erit sibi ipsi?
Nunc labor tuus est fructuosus,
fletus acceptabilis, gemitus exaudibilis,
dolor satisfactorius et purgativus.

2. Habet magnum et salubre purgatorium patiens homo
qui, suscipiens injurias,
plus dolet de alterius malitia quam de sua injuria,
qui pro contrariantibus sibi libenter orat
et ex corde culpas indulget;
qui veniam ab aliis petere non retardat,
qui facilius miseretur quam irascitur;
qui sibi ipsi violentiam frequenter facit
et carnem omnino spiritui subjugare conatur.
Melius est modo purgare peccata et vitia resecare
quam in futuro purganda reservare.
Vere nos ipsos decipimus per inordinatum amorem
quem ad carnem habemus.

**3. Quid aliud ignis ille devorat, nisi peccata tua?**
**Quanto amplius tibi ipsi nunc parcis et carnem sequeris**
**tanto durius postea lues**
**et majorem materiam comburendi reservas.**
**In quibus homo peccavit**
**in illis gravius punietur:**
**Ibi acidiosi ardentibus stimulis perurgentur,**
**et gulosi ingenti siti ac fame cruciabuntur;**
**Ibi luxuriosi et voluptatum amatores**
**ardenti pice et foetido sulphure perfundentur;**
**et sicut furiosi canes prae dolore invidiosi ululabunt.**

**4. Nullum vitium erit quod suum proprium cruciatum non habebit:**
**Ibi superbi omni confusione replebuntur**
**et avari miserrima egestate arctabuntur.**
**Ibi erit una hora gravior in poena**
**quam hic centum anni in gravissima poenitentia.**
**Ibi nulla requies est, nulla consolatio damnatis -**
**hic tamen interdum cessatur a laboribus**
**atque amicorum fruitur solatiis.**
**Esto modo sollicitus et dolens pro peccatis tuis**
**ut in die judicii securus sis cum beatis.**
**Tunc enim justi stabunt in magna constantia**
**adversus eos qui se angustiaverunt et depresserunt.**
**Tunc stabit ad judicandum**
**qui modo se subjicit humiliter judiciis hominum.**
**Tunc magnam fiduciam habebit pauper et humilis,**
**et pavebit undique superbus.**

**5. Tunc videbitur sapiens in hoc mundo fuisse**
**qui pro Christo didicit stultus et despectus esse.**
**Tunc placebit omnis tribulatio patienter perpessa**
**et *omnis iniquitas oppilabit os suum*.** ***(Ps 106 : 42)***
**Tunc gaudebit omnis devotus**
**et maerebit omnis irreligiosus.**
**Tunc plus exultabit caro afflicta**
**quam si in deliciis fuisset semper nutrita.**
**Tunc splendebit habitus vilis**
**et obtenebrescet vestis subtilis.**
**Tunc plus laudabitur pauperculum domicilium**
**quam deauratum palatium.**
**Tunc plus juvabit constans patientia**
**quam omnis mundi potentia.**
**Tunc amplius exaltabitur simplex obedientia**
**quam omnis saecularis astutia.**
**Tunc plus laetificabit pura et bona conscientia**
**quam docta philosophia.**
**Tunc plus ponderabit contemptus divitiarum**

**quam totus thesaurus terrigenarum.**
**Tunc magis consolaberis super devota oratione**
**quam super delicata comestione.**
**Tunc potius gaudebis de servato silentio**
**quam de longa fabulatione.**
**Tunc plus valebunt sancta opera**
**quam multa pulchra verba.**
**Tunc plus placebit stricta vita et ardua poenitentia**
**quam omnis delectatio terrena.**

**6. Disce nunc in modico pati**
**ut tunc a gravioribus valeas liberari.**
**Hic primo proba quid possis pati postea:**
**si nunc tam parum vales sustinere,**
**quomodo aeterna tormenta poteris sufferre?**
**Si modo modica passio tam impatientem te efficit,**
**quid gehenna tunc faciet?**
**Ecce vero non potes duo gaudia habere:**
**delectari hic in mundo**
**et postea regnare cum Christo.**

**7. Si usque in hodiernum diem**
**semper in honoribus et voluptatibus vixisses,**
**quid totum tibi profuisset**
**si jam mori in instanti contingeret?**
**Omnia ergo vanitas**
**praeter amare Deum et illi soli servire.**
**Qui enim Deum ex toto corde amat**
**nec mortem, nec supplicium,**
**nec judicium, nec infernum metuit,**
**quia perfectus amor securum ad Deum accessum facit.**
**Quem autem adhuc peccare delectat,**
**non mirum si mortem et judicium timeat.**
**Bonum tamen est ut, si necdum amor a malo te revocat,**
**saltem timor gehennae coerceat.**
**Qui vero timorem Dei postponit**
**diu stare in bono non valebit,**
**sed diaboli laqueos citius incurret.**

## Capitulum 25.
## De ferventi emendatione totius vitae nostrae *audio: 26.42*

**1. Esto vigilans et diligens in Dei servitio**
**et cogita frequenter ad quid venisti**
**et cur saeculum reliquisti:**
**nonne ut Deo viveres et spiritualis homo fieres?**
**Igitur ad profectum ferveas,**
**quia mercedem laborum tuorum in brevi recipies**
**nec erit tunc amplius timor aut dolor in finibus tuis.**
**Modicum nunc laborabis -**

**et magnam requiem, immo perpetuam laetitiam, invenies.**
**Si tu permanseris fidelis et fervidus in agendo,**
**Deus procul dubio erit fidelis**
**et locuples in retribuendo.**
**Spem bonam retinere debes quod ad palmam pervenies,**
**sed securitatem capere non oportet,**
**ne torpeas aut elatus fias.**

**2. Cum quidam anxius inter metum et spem frequenter fluctuaret,**
**et quadam vice moerore confectus**
**in ecclesia ante quoddam altare se in oratione prostravisset,**
**haec intra se revolvit dicens:**
**« O, si scirem quod adhuc perseveratus essem! »**
**Statimque audivit divinum intus responsum:**
**« Quod, si hoc scires,**
**quid facere velles?**
**Fac nunc quod tunc facere velles,**
**et bene securus eris ».**
**Moxque consolatus et confortatus divinae se commisit voluntati,**
**et cessavit anxia fluctuatio.**
**Noluitque curiose investigare**
**ut sciret quae sibi essent futura,**
**sed magis studuit inquirere *quae esset voluntas Dei***
***beneplacens et perfecta,* *(Ro 12 : 2)***
**ad omne opus bonum inchoandum et perficiendum.**

**3. «*Spera in Domino et fac bonitatem »*, ait propheta,**
***« Et inhabita terram et pasceris in divitiis ejus »*. *(Ps 37: 3)***
**Unum est quod multos a profectu et ferventi emendatione re-**
**trahit:**
**horror difficultatis seu labor certaminis.**
**Enim vero illi maxime prae caeteris in virtutibus proficiunt**
**qui ea quae sibi magis gravia et contraria sunt**
**virilius vincere nituntur.**
**Nam ibi homo plus proficit et gratiam meretur ampliorem,**
**ubi magis se ipsum vincit et in spiritu mortificat.**

**4. Sed non omnes habent aeque multum**
**ad vincendum et moriendum.**
**Diligens tamen aemulator valentior erit ad proficiendum**
**etiamsi plures habeat passiones**
**quam alius bene morigeratus minus tamen fervens ad virtutes.**
**Duo specialiter ad magnam emendationem juvant:**
**videlicet subtrahere se violenter ad quod natura vitiose inclinatur,**
**et ferventer instare pro bono quo amplius quis indiget.**
**Illa etiam studeas magis cavere et vincere**
**quae tibi frequentius in aliis displicent.**

**5. Ubique profectum tuum capias,**
**ut, si bona exempla videas vel audias,**

ad imitandum accendaris.
Si quid autem reprehensibile consideraveris,
cave ne idem facias -
aut si aliquando fecisti,
citius emendare te studeas.
Sicut oculus tuus alios considerat
sic iterum ab aliis notaris.
Quam jucundum et dulce est videre fervidos et devotos fratres
bene morigeratos et disciplinatos!
Quam triste est et grave videre inordinate ambulantes,
qui ea ad quae vocati sunt non exercent!
Quam nocivum est negligere vocationis suae propositum
et ad non comissa sensum inclinare!

6. Memor esto arrepti propositi
et imaginem tibi propone Crucifixi.
Bene verecundari potes, inspecta vita Jesu Christi,
quia necdum magis illi te conformare studuisti,
licet diu in via Dei fuisti.
Religiosus qui se intente et devote
in sanctissima vita et passione Domini exercet,
omnia utilia et necessaria sibi abundanter ibi inveniet;
nec opus est ut extra Jesum aliquid melius quaerat.
O, si Jesus crucifixus in cor nostrum veniret,
quam cito et sufficienter docti essemus!

7. Religiosus fervidus omnia bene portat et capit
quae illi jubentur.
Religiosus negligens et tepidus habet tribulationem super tribu-
lationem
et ex omni parte patitur angustiam:
quia interiori consolatione caret
et exteriorem quaerere prohibetur.
Religiosus extra disciplinam vivens gravi patet ruinae.
Qui laxiora quaerit et remissiora semper in angustiis erit,
quia unum aut reliquum sibi displicebit.

8. Quomodo faciunt tam multi alii religiosi
qui satis arctati sunt sub disciplina claustrali?
Raro exeunt, abstracte vivunt,
pauperrime comedunt, grosse vestiuntur,
multum laborant, parum loquuntur;
diu vigilant, mature surgunt,
orationes prolongant, frequenter legunt
et se in omni disciplina custodiunt.
Attende cartusienses, cistercienses
et diversae religionis monachos et moniales,
qualiter omni nocte ad psallendum Deo assurgunt:
et ideo turpe esset ut tu deberes in tam sancto opere pigritare
ubi tanta multitudo religiosorum incipit Deo jubilare.

**9. O, si nihil aliud faciendum incumberet**
**nisi Dominum Deum nostrum toto corde et ore laudare!**
**O, si nunquam indigeres comedere, nec bibere, nec dormire,**
**sed semper posses Deum laudare**
**et solummodo spiritualibus studiis vacare!**
**tunc multo felicior esses**
**quam modo carni ex qualicumque necessitate serviens!**
**Utinam non essent istae necessitates,**
**sed solum spirituales animae refectiones**
**quas heu! satis raro degustamus.**

**10. Quando homo ad hoc pervenit**
**quod de nulla creatura consolationem suam quaerit,**
**tunc ei Deus primo perfecte sapere incipit,**
**tunc etiam bene contentus de omni eventu rerum erit.**
**Tunc nec pro magno laetabitur**
**nec pro modico contristabitur;**
**sed ponit se integre et fiducialiter in Deo,**
**qui est ei omnia in omnibus,**
**cui nihil utique perit nec moritur,**
**sed omnia ei vivunt**
**et ad nutum incunctanter deserviunt.**

**11. Memento semper finis**
**et quia perditum non redit tempus.**
**Sine sollicitudine et diligentia nunquam acquires virtutes.**
**Si incipis tepescere, incipis male habere -**
**si autem dederis te ad fervorem,**
**invenies magnam pacem et senties leviorem laborem**
**propter Dei gratiam et virtutis amorem.**
**Homo fervidus et diligens ad omnia est paratus.**
**Major labor est resistere vitiis et passionibus**
**quam corporalibus insudare laboribus.**
***Qui parvos non vitat defectus,***
***paulatim labitur ad majores*****.** ***(Lc 16 : 10)***
**Gaudebis semper vespere si diem expendas fructuose.**
**Vigila super te ipsum:**
**excita te ipsum, admonete ipsum,**
**et quidquid de aliis sit, non negligas te ipsum.**
**Tantum proficies quantum tibi ipsi vim intuleris.**
**Amen.**

# Liber secundus
## Admonitiones ad interna trahentes

### Capitulum 1.
### De interna conversatione *audio: 00.14*

1. « *Regnum Dei intra vos est* », *(Lc 17 : 21)*
dicit Dominus.
Converte te ex toto corde ad Dominum
et relinque hunc miserum mundum,
et inveniet anima tua requiem.
Disce exteriora contemnere et ad interiora te dare,
et videbis regnum Dei in te venire.
*Est enim regnum Dei pax et gaudium in Spiritu Sancto,* *(Ro 14: 17)*
quod non datur impiis.
Veniet ad te Christus ostendens tibi consolationem suam
si dignam illi ab intus paraveris mansionem.
Omnis gloria ejus et decor ab intra est
et ibi complacet sibi.
Frequens illi visitatio cum homine interno,
dulcis sermocinatio, grata consolatio,
multa pax, familiaritas stupenda nimis.

2. Eja, anima fidelis, praepara huic sponso cor tuum,
quatenus ad te venire et in te habitare dignetur.
Sic enim dicit:
*« Si quis diligit me sermonem meum servabit,*
*et ad eum veniemus*
*et mansionem apud eum faciemus ».* *(Joh 14 : 23)*
Da ergo Christo locum
et caeteris omnibus nega introitum.
Cum Christum habueris
dives es et sufficit tibi.
Ipse erit provisor tuus et fidelis procurator in omnibus,
ut non sit opus in hominibus sperare.
Homines enim cito mutantur et deficiunt velociter -
Christus autem manet in aeternum
et adstat usque in finem firmiter.

3. Non est magna fiducia ponenda in homine fragili et mortali,
etiamsi utilis fit et dilectus;
neque tristitia multa ex hoc capienda
si interdum adversetur et contradicat.
Qui hodie tecum sunt cras contrariari possunt,
et e converso saepe ut aura vertuntur.
Pone totam fiduciam tuam in Deo
et sit ipse timor tuus et amor tuus.
Ipse pro te respondebit

et faciet bene sicut melius fuerit.
Non habes hic manentem civitatem,
et ubicumque fueris extraneus es et peregrinus,
nec requiem aliquando habebis
nisi Christo intime fueris unitus.

4. Quid hic circumspicis
cum iste non sit locus tuae requietionis?
In caelestibus debet esse habitatio tua
et sicut in transitu cuncta terrena sunt aspicienda.
Transeunt omnia - et tu cum eis pariter.
Vide ut non inhaereas,
ne capiaris et pereas.
Apud Altissimum sit cogitatio tua
et deprecatio tua ad Christum sine intermissione dirigatur.
Si nescis speculari alta et caelestia,
requiesce in passione Christi
et in sacris vulneribus ejus libenter habita.
Si enim ad vulnera et preciosa stigmata Jesu devote confugis
magnam in tribulatione confortationem senties,
nec multum curabis hominum despectiones
faciliterque verba detrahentium perferes.

5. Christus fuit etiam in mundo ab hominibus despectus,
et in maxima necessitate
a notis et amicis inter opprobria derelictus.
Christus pati voluit et despici -
et tu audes de aliquo conqueri?
Christus habuit adversarios et oblocutores -
et tu vis omnes habere amicos et benefactores?
Unde coronabitur patientia tua
si nihil adversitatis occurrit?
Si nihil contrarium vis pati,
quomodo eris amicus Christi?
Sustine te cum Christo et pro Christo
si vis regnare cum Christo.

6. Si semel perfecte introisses in interiora Jesu
et modicum de ardenti amore ejus sapuisses,
tunc de proprio commodo vel incommodo nihil curares
sed magis de opprobrio illato gauderes,
quia amor Jesu facit hominem se ipsum contemnere.
Amator Jesu et veritatis
et verus internus et liber ab affectionibus inordinatis
potest se ad Deum libere convertere,
et elevare supra se ipsum in spiritu
ac fruitive quiescere.

7. Cui sapiunt omnia prout sunt
- non ut dicuntur aut aestimantur -

hic vere sapiens est
et doctus magis a Deo quam ab hominibus.
Qui ab intra scit ambulare
et modicum ab extra res ponderare
non requirit loca nec expectat tempora
ad habenda devota exercitia.
Homo internus cito se recolligit
quia nunquam se totum ad exteriora effundit.
Non illi obest labor exterior
aut occupatio ad tempus necessaria,
sed sicut res eveniunt sic se illis accommodat.
Qui intus bene dispositus est et ordinatus
non curat mirabiles et perversos hominum gestus.
Tantum homo impeditur et distrahitur
quantum sibi res attrahit.

8. Si recte tibi esset et bene purgatus esses,
omnia tibi in bonum cederent et profectum.
Ideo multa tibi displicent et saepe conturbant,
quia adhuc non es perfecte tibi ipsi mortuus
nec segregatus ab omnibus terrenis.
Nihil sic maculat et implicat cor hominis
sicut impurus amor in creaturis.
Si renuis consolari exterius,
poteris speculari caelestia
et frequenter jubilare interius.

## Capitulum 2.
## De humili submissione *audio: 07.19*

1. Non magni pendas quis pro te vel contra te sit,
sed hoc age et cura
ut Deus tecum sit in omni re quam facis.
Habeas conscientiam bonam,
et Deus bene te defensabit.
Quem enim Deus adjuvare voluerit
nullius perversitas nocere poterit.
Si tu scis tacere et pati
videbis procul dubio auxilium Domini:
ipse novit tempus et modum liberandi te -
et ideo te debes illi resignare.
Dei est adjuvare
et ab omni confusione liberare.
Saepe valde prodest, ad majorem humilitatem servandam,
quod defectus nostros alii sciunt et redarguunt.

2. Quando homo pro defectibus suis se humiliat
tunc faciliter alios placat
et leviter satisfacit sibi irascentibus.
Humilem Deus protegit et liberat,

humilem diligit et consolatur;
humili homini se inclinat,
humili largitur gratiam magnam
et post suam depressionem levat ad gloriam.
Humili sua secreta revelat
et ad se dulciter trahit et invitat.
Humilis, accepta confusione, satis bene est in pace,
quia stat in Deo et non in mundo.
Non reputes te aliquid profecisse
nisi omnibus inferiorem te esse sentias.

## Capitulum 3.
## De bono pacifico homine *audio: 09.17*

1. Tene te primus in pace,
et tunc poteris alios pacificare.
Homo pacificus magis prodest quam bene doctus.
Homo passionatus etiam bonus in malum trahit
et faciliter malum credit.
Bonus pacificus homo omnia ad bonum convertit.
Qui bene in pace est de nullo suspicatur.
Qui autem male contentus est et commotus
variis suspicionibus agitatur:
nec ipse quiescit nec alios quiescere permittit.
Dicit saepe quod dicere non deberet
et omittit quod sibi magis facere expediret.
Considerat quid alii facere tenentur
et negligit quid ipse tenetur.
Habe ergo primum zelum super te ipsum -
et tunc juste zelare poteris etiam proximum tuum.

2. Tu bene scis facta tua excusare et colorare -
et aliorum excusationes non vis reccipere!
Justius esset ut te accusares
et fratrem tuum excusares.
Si portari vis, porta et alium.
Vide quam longe es adhuc a vera caritate et humilitate,
quae nulli novit irasci vel indignari
nisi tantum sibi.
Non est magnum cum bonis et mansuetis conversari:
hoc enim omnibus naturaliter placet;
et unusquisque libenter pacem habet
et secum sentientes magis diligit.
Sed cum duris et perversis aut indisciplinatis
aut nobis contrariantibus pacifice posse vivere -
magna gratia est et laudabile nimis virileque factum.

3. Sunt qui se ipsos in pace tenent
et cum aliis etiam pacem habent;
et sunt qui nec pacem habent

nec alios in pace dimittunt.
Aliis sunt graves - sed sibi semper graviores.
Et sunt qui se ipsos in pace retinent
et ad pacem alios reducere student.
Est tamen tota pax nostra in hac misera vita
potius in humili sufferentia ponenda
quam in non sentiendo contraria.
Qui melius scit pati,
majorem tenebit pacem.
Iste est victor sui et dominus mundi,
amicus Christi et haeres caeli.

## Capitulum 4.
## De pura mente et simplici intentione *audio: 12.21*

1. Duabus alis homo sublevatur a terrenis,
simplicitate scilicet et puritate.
Simplicitas debet esse in intentione,
puritas in affectione.
Simplicitas intendit Deum,
puritas apprehendit et gustat.
Nulla bona actio te impediet
si liber intus ab inordinato affectu fueris.
Si nihil aliud quam Dei beneplacitum et proximi utilitatem
intendis et quaeris,
interna libertate perfrueris.
Si rectum cor tuum esset,
tunc omnis creatura speculum vitae et liber sanctae doctrinae
esset.
Non est creatura tam parva et vilis
quae Dei bonitatem non repraesentet.

2. Si tu esses intus bonus et purus,
tunc omnia sine impedimento videres et bene caperes.
Cor purum penetrat caelum et infernum.
Qualis unusquisque intus est
taliter judicat exterius.
Si est gaudium in mundo,
hoc utique possidet puri cordis homo -
et si est alicubi tribulatio et angustia,
hoc melius novit mala conscientia.
Sicut ferrum missum in ignem amittit rubiginem
et totum candens efficitur,
sic homo integre ad Deum se convertens
a torpore exuitur et in novum hominem transmutatur.

3. Quando homo incipit tepescere,
tunc parvum metuit laborem
et libenter externam accipit consolationem.
Sed quando perfecte incipit se vincere

et viriliter in via Dei ambulare,
tunc minus ea reputat
quae sibi prius gravia esse sentiebat.

## Capitulum 5.
## De propria consideratione *audio: 14.39*

1. Non possumus nobis ipsis nimis credere,
quia saepe gratia nobis deest et sensus.
Modicum lumen est in nobis -
et hoc cito per negligentiam amittimus.
Saepe enim non advertimus quod tam caeci intus sumus.
Saepe male agimus - et peius excusamus;
passione interdum movemur - et zelum putamus;
parva in aliis reprehendimus - et nostra majora pertransimus;
satis cito sentimus et ponderamus quid ab aliis sustinemus -
sed quantum alii de nobis sustinent non advertimus.
Qui bene et recte sua ponderaret
non esset quod de alio graviter iudicaret.

2. Internus homo sui ipsius curam omnibus curis anteponit,
et qui sibi ipsi diligenter intendit faciliter de aliis tacet.
Nunquam eris internus et devotus nisi de alienis silueris
et ad te ipsum specialiter respexeris.
Si tibi et Deo totaliter intendis,
modicum te movebit quod foris percipis.
Ubi es quando tibi ipsi praesens non es?
Et quando omnia percurristi,
quid, te neglecto, profecisti?
Si debes habere pacem et unionem veram,
oportet quod totum adhuc postponas
et te solum prae oculis habeas.

3. Multum proinde proficies
si te feriatum ab omni temporali cura conserves.
Valde deficies
si aliquid temporale reputaveris.
Nihil magnum, nihil altum, nihil gratum,
nihil acceptum tibi sit,
nisi pure Deus aut de Deo sit.
Totum vanum existima
quidquid consolationis occurrit de aliqua creatura.
Amans Deum anima sub Deo despicit universa:
solus Deus aeternus et immensus, implens omnia,
solatium animae et vera mentis laetitia.

## Capitulum 6.
## De laetitia bonae conscientiae *audio: 17.22*

**1. Gloria boni hominis testimonium bonae conscientiae.**
**Habe bonam conscientiam**
**et habebis semper laetitiam.**
**Bona conscientia valde multa potest portare**
**et valde laeta est inter adversa.**
**Mala conscientia semper timida est et inquieta.**
**Suaviter requiesces si cor tuum te non reprehenderit.**
**Noli laetari nisi cum benefeceris.**
**Mali nunquam habent veram laetitiam**
**nec internam sentiunt pacem,**
**quia *« Non est pax impiis »*, dicit Dominus.** ***(Es 48 : 22)***
**Et si dixerint: « In pace sumus,**
**non venient super nos mala!**
**et quis nobis nocere audebit? »,**
**ne credas eis:**
**quoniam repente exsurget ira Dei,**
**et in nihilum redigentur actus eorum**
**et cogitationes eorum peribunt.**

**2. *Gloriari in tribulationibus* non est grave amanti:** ***(Ro 5 : 3)***
**sic enim gloriari *est gloriari in cruce* Domini.** ***(Ga 6 : 14)***
**Brevis gloria quae ab hominibus datur et accipitur.**
**Mundi gloriam semper comitatur tristitia.**
**Bonorum gloria in conscientiis eorum**
**et non in ore hominum.**
**Justorum laetitia de Deo et in Deo est**
**et gaudium eorum de veritate.**
**Qui veram et aeternam gloriam desiderat**
**temporalem non curat.**
**Et qui temporalem requaerit gloriam**
**aut non ex animo contemnit,**
**minus amare convincitur caelestem.**
**Magnam habet cordis tranquillitatem**
**qui nec laudes curat nec vituperia.**

**3. Facile erit contentus et pacatus**
**cuius conscientia munda est.**
**Non es sanctior si laudaris**
**nec vilior si vituperaris.**
**Quod es, hoc es:**
**nec melior dici vales quam Deo teste sis.**
**Si attendis quid apud te sis intus**
**non curabis quid de te loquantur homines.**
**Homo videt in facie - Deus autem in corde.**
**Homo considerat actus - Deus vero pensat intentiones.**
**Bene semper agere et modicum de se tenere**
**humilis animae indicium est.**

**Nolle consolari ab aliqua creatura**
**magnae puritatis et internae fiduciae signum est.**

**4. Qui nullum extrinsecus pro se testimonium quaerit**
**liquet quod totaliter quod se Deo commisit:**
***« Non enim qui se ipsum commendat ille probatus est »*,**
**ait beatus Paulus,**
***« Sed quem Deus commendat ».*** ***(2 Co 10 : 18)***
**Ambulare cum Deo intus**
**nec aliqua affectione teneri foris**
**status est interni hominis.**

## Capitulum 7.
## De amore Jesu super omnia *audio: 20.53*

**1. Beatus qui intelligit quid sit amare Jesum**
**et contemnere se ipsum propter Jesum.**
**Oportet dilectum pro Dilecto relinquere,**
**quia Jesus vult solus super omnia amari.**
**Dilectio creaturae fallax et instabilis -**
**dilectio Jesu fidelis et perseverabilis.**
**Qui adhaeret creaturae cadet cum labili -**
**qui amplectitur Jesum firmabitur in eum.**
**Illum dilige et amicum tibi retine:**
**qui omnibus recedentibus te non relinquet,**
**nec patietur in fine perire.**
**Ab omnibus oportet te aliquando separari**
**sive velis sive nolis.**

**2. Tene te apud Jesum vivens ac moriens**
**et illius fidelitati te committe,**
**qui omnibus deficientibus solus te potest juvare.**
**Dilectus tuus talis est naturae ut alienum non velit admittere,**
**sed solus vult cor tuum habere**
**et tanquam rex in proprio throno sedere.**
**Si scires te bene ab omni creatura evacuare**
**Jesus deberet libenter tecum habitare.**
**Paene totum perditum invenies**
**quidquid extra Jesum in hominibus posueris.**
**Non confidas nec innitaris super calamum ventosum,**
**quia *omnis caro fœnum,***
***et omnis gloria ejus ut flos fœni cadet*.** ***(Es 40 : 6)***

**3. Cito deciperis**
**si ad externam hominum apparentiam tantum aspexeris:**
**Si enim tuum in aliis quaeris solatium et lucrum**
**senties saepius detrimentum.**
**Si quaeris in omnibus Jesum**
**invenies utique Jesum.**
**Si autem quaeris te ipsum**

invenies etiam te ipsum - sed ad tuam perniciem.
Plus enim homo nocivior sibi si Jesum non quaerit
quam totus mundus et omnes sui adversarii.

## Capitulum 8.
## De familiari amicitia Jesu *audio: 23.20*

1. Quando Jesus adest
totum bonum est nec quicquam difficile videtur -
quando vero Jesus non adest
totum durum est.
Quando Jesus intus non loquitur
consolatio vilis est -
si autem Jesus unum tantum verbum loquitur
magna consolatio sentitur.
Nonne Maria Magdalena statim surrexit de loco in quo flevit
quando Martha illi dixit:
*« Magister adest et vocat te »* ? *(Joh 11: 28)*
Felix hora quando Jesus vocat de lacrymis ad gaudium spiritus!
Quam aridus et durus es sine Jesu!
Quam insipiens et vanus si cupis aliquid extra Jesum!
Nonne hoc est majus damnum
quam si totum perderes mundum?

2. Quid potest mundus conferre sine Jesu?
Esse sine Jesu gravis est infernus -
et esse cum Jesu dulcis paradisus.
Si fuerit tecum Jesus,
nullus poterit nocere inimicus.
Qui invenit Jesum invenit thesaurum bonum -
immo bonum super omne bonum.
Et qui perdidit Jesum perdidit nimis multum -
et plus quam totum mundum.
Pauperrimus est qui vivit sine Jesu,
et ditissimus qui bene est cum Jesu.

3. Magna ars est scire cum Jesu conversari,
et scire Jesum tenere magna prudentia.
Esto humilis et pacificus,
et erit tecum Jesus.
Sis devotus et quietus,
et manebit tecum Jesus.
Potes cito fugare Jesum et gratiam ejus perdere
si volueris ad exteriora declinare.
Et si illum effugaveris et perdideris,
ad quem fugies et quem tunc quaeres amicum?
Sine amico non potes bene vivere;
et si Jesus non fuerit tibi prae omnibus amicus,
eris nimis tristis et desolatus.
Fatue igitur agis si in aliquo altero confidis aut laetaris.

**Eligendum est magis totum mundum habere contrarium**
**quam Jesum offensum.**
**Ex omnibus ergo caris sit Jesus solus dilectus specialis.**

**4. Diligantur omnes propter Jesum -**
**Jesus autem propter se ipsum.**
**Solus Jesus Christus singulariter est amandus,**
**qui solus bonus et fidelis prae omnibus invenitur amicis.**
**Propter ipsum et in ipso**
**tam amici quam inimici sint tibi cari**
**et pro omnibus his exorandus est,**
**ut omnes ipsum cognoscant et diligant.**
**Nunquam cupias singulariter laudari vel amari:**
**quia hoc solius Dei est,**
**qui similem sibi non habet.**
**Nec velis quod aliquis tecum in corde suo occupetur**
**neque tecum alicujus occuperis amore,**
**sed sit Jesus in te et in omni bono homine.**

**5. Esto purus et liber ab intus,**
**sine alicujus creaturae implicamento.**
**Oportet te esse nudum**
**et purum cor ad Deum gerere**
**si vis vacare et videre quam suavis sit Dominus.**
**Et revera ad hoc non pervenies**
**nisi gratia ejus fueris praeventus et intractus,**
**ut, omnibus evacuatis et licentiatis,**
**solus cum Solo uniaris.**
**Quando enim gratia Dei venit ad hominem,**
**tunc potens fit ad omnia -**
**et quando recedit,**
**tunc pauper et infirmus erit**
**et quasi tantum ad flagella relictus.**
**In his non debes dejici nec desperare,**
**sed ad voluntatem Dei aequanimiter stare**
**et cuncta supervenientia tibi ad laudem Jesu Christi perpeti.**
**Quia post hiemem sequitur aestas,**
**post noctem redit dies**
**et post tempestatem magna serenitas.**

## Capitulum 9.
## De carentia omnis solatii *audio: 00.12*

**1. Non est grave humanum contemnere solatium**
**cum adest divinum.**
**Magnum est, et valde magnum,**
**tam humano quam divino posse carere solatio,**
**et pro honore Dei libenter exilium cordis velle sustinere**
**et in nullo se ipsum quaerere**
**nec ad proprium meritum respicere.**

**Quid magni es si hilaris sis et devotus adveniente gratia?**
**Optabilis cunctis haec hora!**
**« Satis suaviter "equitat"**
**quem gratia Dei portat ».**
**Et quid mirum si onus non sentit**
**qui portatur ab Omnipotente**
**et ducitur a Summo Ductore?**

**2. Libenter habemus aliquid pro solatio,**
**et difficulter homo exuitur a se ipso.**
**Vicit sanctus martyr Laurentius saeculum cum suo sacerdote**
**quia omne quod in mundo delectabile videbatur despexit,**
**et summum Dei sacerdotem Sixtum, quem maxime diligebat**
**pro amore Christi etiam a se tolli clementer ferebat.**
**Amore igitur Creatoris amorem hominis superavit,**
**et pro humano solatio divinum beneplacitum magis elegit.**
**Ita et tu aliquem necessarium et dilectum amicum**
**pro amore Dei disce relinquere,**
**nec graviter feras cum ab amico derelictus fueris,**
**sciens quoniam oportet nos omnes tandem ab invicem separari.**

**3. Multum et diu oportet hominem in se ipso certare,**
**antequam discat se ipsum plene superare**
**et totum affectum suum in Deum trahere.**
**Quando homo stat super se ipsum**
**facile labitur ad consolationes humanas.**
**Sed verus amator Christi et studiosus sectator virtutum**
**non cadit super consolationes**
**nec quaerit tales sensibiles dulcedines,**
**sed magis fortes exercitationes**
**et pro Christo duros sustinere labores.**

**4. Cum igitur spiritualis a Deo consolatio datur,**
**cum gratiarum actione accipe eam -**
**sed Dei munus intellige esse, non tuum meritum.**
**Noli extolli,**
**noli nimium gaudere nec inaniter praesumere,**
**sed esto magis humilior ex dono**
**cautior quoque et timoratior in cunctis actibus tuis,**
**quoniam transibit hora illa et sequetur tentatio.**
**Cum ablata fuerit consolatio non statim desperes,**
**sed cum humilitate et patientia exspecta caelestem visitationem,**
**quoniam potens est Deus ampliorem tibi redonare consolationem.**
**Istud non est novum nec alienum viam Dei expertis:**
**quia in magnis sanctis et in antiquis prophetis**
**fuit saepe talis alternationis modus.**

**5. Unde quidam, praesente jam gratia, dicebat:**
***« Ego dixi in abundantia mea:***
***non movebor in aeternum ».*** *(Ps 30 : 7)*
**Absente vero gratia quid in se fuerit expertus,**

adjungit dicens:
*« Avertisti faciem tuam a me,*
*et factus sum conturbatus ».* *(Ps 30 : 8)*
Inter haec tamen nequaquam desperat
sed instantius Dominum rogat et dicit:
*« Ad te, Domine, clamabo,*
*et ad Deum meum deprecabor ».* *(Ps 30 : 9)*
Denique orationis suae fructum reportat
et se exauditum testatur dicens:
*« Audivit Dominus et misertus est mei,*
*Dominus factus est adjutor meus ».* *(Ps 30 : 11)*
Sed in quo?
*« Convertisti »*, inquit, *« Planctum meum in gaudium mihi*
*et circumdedisti me laetitia ».* *(Ps 30 : 12)*
Si sic actum est cum magnis sanctis,
non est desperandum nobis infirmis et pauperibus,
si interdum in fervore et interdum in frigiditate sumus:
Quoniam spiritus venit et recedit
secundum suae beneplacitum voluntatis.
Unde beatus Job ait:
*« Visitas eum diluculo*
*et subito probas illum ».* *(Jb 7 : 18)*

6. Super quid igitur sperare possum
aut in quo confidere debeo,
nisi in sola magna misericordia Dei
et in sola spe gratiae caelestis?
Sive enim adsint homines boni,
sive devoti fratres vel amici fideles,
sive libri sancti vel tractatus pulchri,
sive dulces cantus et hymni -
omnia haec modicum juvant et modicum sapiunt,
quando desertus sum a gratia
et in propria paupertate relictus.
Tunc non est melius remedium
quam patientia et abnegatio mei in voluntate Dei.

7. Nunquam inveni aliquem tam religiosum et devotum
qui non habuerit interdum gratiae subtractionem
aut non senserit fervoris diminutionem.
Nullus sanctus fuit tam alte raptus et illuminatus
qui prius vel postea non fuerit tentatus.
Non enim dignus est alta Dei contemplatione
qui pro Deo non est exercitatus aliqua tribulatione.
Solet enim sequentis consolationis
tentatio praecedens esse signum.
Nam tentationibus probatis
caelestis promittitur consolatio.
*« Qui vicerit »*, inquit,
*« Dabo ei edere de ligno vitae ».* *(Ap 2 : 7)*

8. Datur autem consolatio divina
ut homo fortior sit ad sustinendum adversa.
Sequitur etiam tentatio,
ne se elevet de bono.
Non dormit diabolus nec caro adhuc mortua est:
Ideo non cesses te praeparare ad certamen,
quia a dextris et a sinistris hostes sunt
qui nunquam quiescunt.

## Capitulum 10.
## De gratitudine pro gratia Dei *audio: 07.01*

1. Cur quaeris quietem
cum natus sis ad laborem?
Pone te ad patientiam magis quam ad consolationes
et ad crucem portandam magis quam ad laetitiam.
Quis enim saecularium
non libenter consolationem et laetitiam spiritualem acciperet,
si semper obtinere posset?
Excedunt enim spirituales consolationes
omnes mundi delicias et carnis voluptates.
Nam omnes deliciae mundanae aut vanae sunt aut turpes -
spirituales vero deliciae solae jucundae et honestae,
ex virtutibus progenitae et a Deo puris mentibus infusae.
Sed istis divinis consolationibus
nemo semper pro suo affectu frui valet,
quia tempus tentationis non diu cessat.

2. Multum autem contrariatur supernae visitationi
falsa libertas animi et magna confidentia sui.
Deus benefacit consolationis gratiam dando -
sed homo male agit
non totum Deo cum gratiarum actione retribuendo.
Et ideo non possunt in nobis dona gratiae fluere,
quia ingrati sumus Auctori
nec totum refundimus fontali origini.
Semper enim debetur gratia digne gratias referenti,
et auferetur ab elato quod dari solet humili.

3. Nolo consolationem quae mihi aufert compunctionem
nec affecto contemplationem quae ducit in elationem.
Non enim omne altum sanctum,
nec omne dulce bonum,
nec omne desiderium purum,
nec omne carum Deo gratum.
Libenter accepto gratiam
unde semper humilior et timoratior inveniar,
atque ad relinquendum me paratior fiam.
Doctus dono gratiae et eruditus subtractionis verbere

non sibi audebit quidquam boni attribuere,
sed potius se pauperem et nudum confitebitur.
Da Deo quod Dei est
et tibi adscribe quod tuum est,
hoc est: deo gratias pro gratia tribue -
tibi autem soli culpam;
et dignam pœnam pro culpa deberi sentias.

4. *Pone te semper ad infimum*, *(Lc 24 : 10)*
et dabitur tibi summum:
nam summum non stat sine infimo.
Summi sancti apud Deum minimi sunt apud se
et quanto gloriosiores, tanto in se humiliores.
Pleni veritate et gloria caelesti
non sunt vanae gloriae cupidi.
In Deo fundati et confirmati
nullo modo possunt esse elati.
Et qui totum Deo adscribunt quidquid boni acceperunt
gloriam ab invicem non quaerunt:
Sed gloriam quae a solo Deo est volunt
et Deum in se et in omnibus sanctis
laudari super omnia cupiunt,
et semper in id ipsum tendunt.

5. Esto igitur gratus pro minimo,
et eris dignus majora accipere.
Sit tibi minimum etiam pro maximo
et magis contemptibile pro speciali dono.
Si dignitas Datoris inspicitur
nullum datum parvum aut minis vile videbitur:
non enim parvum est quod a summo Deo donatur.
Etiam si pœnas et verbera dederit
gratum esse debet,
quia semper pro salute nostra facit
quidquid nobis advenire permittit.
Qui gratiam Dei retinere desiderat
sit gratus pro gratia data, patiens pro sublata.
Oret ut redeat,
cautus sit et humilis ne amittat.

## Capitulum 11.
## De paucitate amatorum crucis Jesu *audio: 11.44*

1. Habet Jesus nunc multos amatores regnis sui caelestis -
sed paucos bajulatores suae crucis.
Multos habet desideratores consolationis -
sed paucos tribulationis.
Plures invenit socios mensae -
sed paucos abstinentiae.
Omnes cupiunt cum eo gaudere -

pauci volunt pro eo aliquid sustinere.
Multi Jesum sequuntur usque ad fractionem panis -
sed pauci usque ad bibendum calicem passionis.
Multi miracula ejus venerantur -
pauci ignominias crucis sequuntur.
Multi Jesum diligunt
quamdiu adversa non contingunt.
Multi illum laudant et benedicunt
quamdiu consolationes aliquas ab ipso percipiunt.
Si autem Jesus se absconditerit et modicum eos reliquerit,
aut in querimoniam vel in dejectionem nimiam cadunt.

2. Qui autem Jesum propter Jesum
et non propter suam propriam aliquam consolationem diligunt,
ipsum in omni tribulatione et angustia cordis
sicut in summa consolatione benedicunt.
Et si nunquam eis consolationem dare vellet,
ipsum tamen semper laudarent
et semper gratias agere vellent.

3. O, quantum potest amor Jesu purus
nullo propio commodo vel amore permixtus!
Nonne omnes mercenarii sunt dicendi
qui consolationes semper quaerunt?
Nonne amatores sui magis quam Christi probantur
qui sua commoda et lucra semper meditantur?
Ubi invenitur talis
qui velit servire Deo gratis?

4. Raro invenitur tam spiritualis aliquis
qui omnibus sit nudatus.
Nam verum pauperem spiritu et ab omni creatura nudum
quis inveniet?
*Procul et de omnibus finibus pretium ejus!* *(Pr 31 : 10)*
*Si dederit homo omnem substantiam suam,* *(Cant 8 : 7)*
adhuc nihil est;
et si fecerit pœnitentiam magnam,
adhuc exiguum est;
et si apprehenderit omnem scientiam,
adhuc longe est;
et si habuerit virtutem magnam et devotionem nimis ardentem,
adhuc multum sibi deest:
scilicet unum quod summe sibi necessarium est.
Quid illud?
Ut, omnibus relictis, se relinquat et a se totaliter exeat
nihilque de privato amore retineat.
Cumque omnia fecerit quae facienda noverit,
nihil se fecisse sentiat.
Non grande ponderet quod grande aestimari possit,
sed in veritate servum inutilem se pronunciet.

**Sicut Veritas ait:**
***« Cum feceritis omnia quae praecepta sunt vobis,***
***dicite: servi inutiles sumus ».*** ***(Lc 17 : 10)***
**Tunc vere pauper et nudus spiritu esse poterit**
**et cum propheta dicere**
**quia *« unicus et pauper sum ego ».*** ***(Ps 25 : 16)***
**Nemo tamen isto ditior,**
**nemo potentior, nemo liberior,**
**qui se et omnia relinquere scit**
**et ad infimum se ponere.**

## Capitulum 12.
## De regia via sanctae crucis ***audio: 15.59***

**1. Durus multis videtur hic sermo:**
***« Abnega temet ipsum,***
***tolle crucem tuam et sequere Jesum ».*** ***(Lc 9 : 23)***
**Sed multo durius erit audire illud extremum verbum:**
***« Discedite a me, maledicti,***
***in ignem aeternum ».*** ***(Mt 25: 41)***
**Qui enim modo libenter audiunt et sequuntur verbum crucis**
**tunc non timebunt ab auditione aeternae damnationis.**
***Hoc signum crucis erit in caelo***
***cum Dominus ad judicandum venerit.*** ***(Mt 24: 30)***
**Tunc omnes servi crucis,**
**qui se Crucifixo conformaverunt in vita,**
**accedent ad Christum judicem cum magna fiducia.**

**2. Quid igitur times tollere crucem,**
**per quam itur ad Regnum?**
**In cruce salus, in cruce vita;**
**in cruce protectio ab hostibus;**
**in cruce infusio supernae suavitatis;**
**in cruce robur mentis;**
**in cruce gaudium spiritus, in cruce summa virtutis;**
**in cruce perfectio sanctitatis.**
**Non est salus animae nec spes aeternae vitae**
**nisi in cruce.**
**Tolle ergo crucem tuam et sequere Jesum,**
**et ibis in vitam aeternam.**
**Praecessit ille bajulans sibi crucem**
**et mortuus est pro te in cruce,**
**ut et tu tuam portes crucem**
**et mori affectes in cruce.**
**Quia, *si commortuus fueris,***
***etiam cum illo pariter vives*;** ***(Ro 6 : 8)***
**et si socius fueris pœnae,**
**eris et gloriae.**

**3. Ecce in cruce totum constat**

**et in moriendum totum jacet,**
**et non est alia via ad vitam et ad veram internam pacem**
**nisi via sanctae crucis et quotidianae mortificationis.**
**Ambula ubi vis,**
**quaere quodcumque volueris,**
**et non invenies altiorem viam supra nec securiorem viam infra**
**nisi viam sanctae crucis.**
**Dispone et ordina omnia secundum tuum velle et videre,**
**et non invenies nisi semper aliquid pati debere**
**aut sponte aut invite,**
**et ita crucem semper invenies.**
**Aut enim in corpore dolorem senties**
**aut in anima spiritus tribulationem sustinebis.**

**4. Interdum a Deo relinqueris,**
**interdum a proximo exercitaberis,**
**et quod amplius est: saepe tibimet ipsi gravis eris.**
**Nec tamen aliquo remedio vel solatio**
**liberari seu alleviari poteris,**
**sed donec Deus voluerit oportet ut sustineas.**
**Vult enim Deus ut tribulationem sine consolatione pati discas,**
**et ut illi totaliter te subjicias**
**et humilior ex tribulatione fias.**
**Nemo ita cordialiter sentit passionem Christi**
**sicut is cui contigerit similia pati.**
**Crux ergo semper parata est et ubique te exspectat.**
**Non potes effugere ubicumque cucurreris,**
**quia ubicumque veneris te ipsum tecum portas**
**et semper te ipsum invenies.**
**Converte te supra, converte te infra,**
**converte te extra, converte te intra -**
**et in his omnibus invenies crucem.**
**Et necesse est te ubique tenere patientiam,**
**si internam vis habere pacem**
**et perpetuam promereri coronam.**

**5. Si libenter crucem portas,**
**portabit te et ducet ad desideratum finem,**
**ubi scilicet finis patiendi erit -**
**quamvis hic non erit.**
**Si invite portas,**
**onus tibi facis et te ipsum magis gravas -**
**et tamen oportet ut sustineas.**
**Si abjicis unam crucem**
**aliam procul dubio invenies - et forsitan graviorem.**

**6. Credis tu evadere quod nullus mortalium potuit praeterire?**
**Quis sanctorum in mundo sine cruce et tribulatione fuit?**
**Nec enim Jesus Christus Dominus noster**
**una hora sine dolore passionis fuit quamdiu vixit.**

*« Oportebat »*, ait, *« Christum pati et resurgere a mortuis*
*et ita intrare in gloriam suam ».* *(Lc 24 : 26, 46)*
Et quomodo tu aliam viam quaeris
quam hanc regiam viam quae est via sanctae crucis?

7. Tota vita Christi crux fuit et martyrium -
et tu tibi quaeris requiem et gaudium?
Erras, erras
si aliud quaeris quam pati tribulationes,
quia tota ista vita mortalis
plena est miseriis et circumsignata crucibus.
Et quanto altius quis in spiritu profecerit
tanto graviores saepe cruces invenerit,
quia exilii sui pœna magis ex amore crescit.

8. Sed tamen iste sic multipliciter afflictus
non est sine levamine consolationis,
quia fructum maximum sibi sentit accrescere
ex sufferentia suae crucis.
Nam dum sponte se illi subjicit,
omne onus tribulationis in fiduciam divinae consolationis convertitur.
Et quanto caro magis per afflictionem atteritur
tanto spiritus amplius per internam gratiam roboratur.
Et nonnunquam in tantum confortatur
ex affectu tribulationis et adversitatis
ob amorem conformitatis crucis Christi,
ut se sine dolore et tribulatione esse non vellet,
quoniam tantum se acceptiorem Deo credit
quanto plura et graviora plura pro eo ferre poterit.
Non est istud hominis virtus sed gratia Christi,
quae tanta potest et agit in carne fragili
ut quod naturaliter semper abhorret et fugit
hoc fervore spiritus aggrediatur et diligat.

9. Non est secundum hominem crucem portare,
crucem amare,
corpus castigare et servituti subjicere,
honores fugere, contumelias libenter sustinere,
se ipsum despicere et despici optare,
adversa quaequae cum damnis perpeti
et nihil prosperitatis in hoc mundo desiderare.
Si ad te ipsum respicis nihil hujusmodi ex te poteris -
sed si in Domino confidis dabitur tibi fortitudo de caelo
et subjicientur ditioni tuae mundus et caro.
Sed nec inimicum diabolum timebis
si fueris fide armatus et cruce Jesu signatus.

10. Pone te ergo sicut bonus et fidelis servus Christi
ad portandam viriliter crucem Domini tui

pro te ex amore crucifixi.
Praepara te ad toleranda multa adversa et varia incommoda
in hac misera vita,
quia sic tecum erit ubicumque fueris
et sic revera invenies ubicumque latueris.
Oportet ita esse,
et non est remedium evadendi a tribulatione malorum et dolore
quam ut te patiaris.
Calicem Domini affectanter bibe
si amicus ejus esse et partem cum eo habere desideras.
Consolationes Deo committe:
faciat ipse cum talibus sicut sibi magis placuerit.
Tu vero pone te ad sustinendum tribulatones
et reputa eas maximas consolationes:
quia *non sunt condignae passiones hujus temporis*
*ad futuram gloriam promerendam*, *(Ro 8 : 18)*
etiam si solus omnes posses sustinere.

11. Quando ad hoc veneris
quod tribulatio tibi dulcis est et sapiet pro Christo,
tunc bene tecum esse aestima,
quia invenisti paradisum in terra.
Quamdiu pati grave tibi est et fugere quaeris
tamdiu male habebis
et sequentur te ubique tribulationes.

12. Si ponis te ad quod esse debes,
videlicet ad patiendum et moriendum,
fiet cito melius et pacem invenies.
Etiamsi *raptus fueris usque ad tertium caelum* cum Paulo
non es propterea securatus de nullo contrario patiendo.
*« Ego »*, inquit Jesus, *« Ostendam illi*
*quanta oporteat eum pro nomine meo pati ».* *(Act 9 : 6)*
Pati ergo tibi remanet
si Jesum diligere et perpetue illi servire placet.

13. Utinam dignus esses aliquid pro nomine Jesu pati!
quam magna gloria remaneret tibi,
quanta exultatio omnibus sanctis Dei,
quanta quoque aedificatio esset proximi!
Nam patientiam omnes recommendant -
quamvis pauci pati velint.
Merito deberes libenter modicum pati pro Christo
cum multi graviora patiantur pro mundo.

14. Scias pro certo quia morientem te oportet ducere vitam.
Et quanto quisque plus sibi moritur
tanto magis Deo vivere incipit.
Nemo aptus est ad comprehendendum caelestia
nisi se submiserit ad portandum pro Christo adversa.

Nihil Deo acceptius, nihil tibi salubrius in mundo isto
quam libenter pati pro Christo.
Et si eligendum tibi esset,
magis optare deberes pro Christo adversa pati
quam multis consolationibus recreari,
quia Christo similior esses
et omnibus sanctis magis conformior.
Non enim stat meritum nostrum et profectus status nostri
in multis suavitatibus et consolationibus,
sed potius in magnis gravitatibus et tribulationibus perferendis.

15. Si quidem aliquid melius et utilius saluti hominum quam pati fuisset,
Christus utique verbo et exemplo ostendisset.
Nam et sequentes se discipulos omnesque eum sequi cupientes
manifeste ad crucem portandam hortatur, et dicit:
*« Si quis vult venire post me,*
*abneget semet ipsum*
*et tollat crucem suam et sequatur me ».* *(Mt 16 : 24)*
Omnibus ergo perlectis et scrutatis
sit haec conclusio finalis:
quoniam *per multas tribulationes*
*oportet nos intrare in regnum Dei.* *(Act 14 : 21)*

# Liber tertius
## De interna consolatione

## Capitulum 1.
## De interna Christi locutione ad animam fidelem

*audio: 00.15*

1. *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.* *(Ps 85 : 9)*
Beata anima quae Dominum in se loquentem audit
et de ore ejus consolationis verbum accipit.
Beatae aures quae venas divini susurri suscipiunt
et de mundi hujus susurrationibus nihil advertunt.
Beatae plane aures quae non vocem foris sonantem
sed intus auscultant veritatem docentem.
Beati oculi qui exterioribus clausi
interioribus autem sunt intenti.
Beati qui interna penetrant
et ad capienda arcana caelestia
magis ac magis per quotidiana exercitia se student praeparare.
Beati qui Deo vacare gestiunt
et ab omni impedimento saeculi se excutiunt.
Animadverte haec, o anima mea,
et claude sensualitatis tuae ostia
ut possis *audire quid in te loquatur* Dominus *Deus tuus.* *(Ps 85 : 9)*

**2. Haec dicit dilectus tuus:**
***« Salus tua ego sum,*** ***(Ps 35 : 3)***
**pax tua et vita tua.**
**Serva te apud me et pacem invenies.**
**Dimitte omnia transitoria,**
**quaere aeterna.**
**Quid sunt omnia temporalia nisi seductoria?**
**et quid juvant omnes creaturae si fueris a Creatore deserta?**
**Omnibus ergo abdicatis**
**Creatori tuo te redde placitam ac fidelem**
**ut veram valeas apprehendere beatitudinem ».**

## Capitulum 2.
## Quod veritas intus loquitur
## sine strepitu verborum

***audio: 02.14***

**1. «** ***Loquere, Domine, quia audit servus tuus.*** ***(1S 3 : 10)***
**Servus tuus sum ego:**
***da mihi intellectum ut sciam testimonia tua.*** ***(Ps 119 : 125)***
***Inclina cor meum in verba oris tui.*** ***(Ps 119 : 36)***
***Fluat ut ros eloquium tuum ».*** ***(Dt 32 : 2)***
**Dicebant olim filii Israel ad Moysen:**
***« Loquere tu nobis, et audiemus -***
***non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur ».*** ***(Ex 20 : 19)***
**Non sic, Domine, non sic oro,**
**sed magis cum Samuele propheta humiliter ac disideranter obsecro:**
***« Loquere Domine, quia audit servus suus ».*** ***(1S 3 : 10)***
**Non loquatur mihi Moyses aut aliquis ex prophetis,**
**sed tu potius loquere, Domine Deus,**
**inspirator et illuminator omnium prophetarum:**
**quia tu solus sine eis potes me perfecte imbuere -**
**illi autem sine te nihil proficient.**

**2. Possunt quidem verba sonare - sed spiritum non conferunt.**
**Pulchriter dicunt - sed te tacente cor non accedunt.**
**Litteras tradunt - sed tu sensum aperis.**
**Mysteria proferunt - sed tu reseras intellectum signatorum.**
**Mandata edicunt - sed tu juvas ad perficiendum.**
**Viam ostendunt - sed tu confortas ad ambulandum.**
**Illi foris tantum agunt - sed tu corda instruis et illuminas.**
**Illi exterius rigant - sed tu fecunditatem donas.**
**Illi clamant verbis - sed tu auditui intelligentiam tribuis.**

**3. Non ergo loquatur mihi Moyses,**
**sed tu, Domine Deus meus, aeterna veritas,**
**ne forte moriar et sine fructu efficiar**
**si fuero tantum foris admonitus et intus non accensus,**
**ne sit mihi ad judicium verbum auditum et non factum,**

cognitum nec amatum, creditum et non servatum.
« *Loquere* igitur, *Domine, quia audit servus tuus*: *(1S 3 : 10)*
*verba enim vitae aeternae habes* ». *(Joh 6 : 69)*
Loquere mihi ad qualemcumque animae meae consolationem
et ad totius vitae meae emendationem -
tibi autem ad laudem et gloriam
et perpetuum honorem.

## Capitulum 3.
## Quod verba Dei cum humilitate sunt audienda et quod multi ea non ponderant

*audio: 05.02*

1. « Audi, fili mi, verba mea, verba suavissima,
omnem philosophorum et sapientum hujus mundi scientam exce-
dentia.
*Verba mea spiritus et vita sunt* *(Joh 6 : 24)*
nec humano sensu pensanda.
Non sunt ad vanam complacentiam trahenda
sed in silentio audienda
et cum omni humilitate atque affectu magno suscipienda ».
Et dixi: *« Beatus quem tu erudieris, Domine,*
*et de lege tua docueris eum,*
*ut mitiges ei a diebus malis* *(Ps 94 : 12-13)*
et non desoletur in terra ».

2. « Ego », inquit Dominus, « Docui prophetas ab initio,
et usque nunc non cesso omnibus loqui -
Sed multi ad vocem meam surdi sunt et duri.
Plures mundum libentius audiunt quam Deum,
facilius sequuntur carnis suae appetitum quam Dei beneplacitum.
Promittit mundus temporalia et parva,
et servitur ei aviditate magna.
Ego promitto summa et aeterna -
et torpescunt mortalium corda!
Quis tanta cura mihi in omnibus servit et obedit
sicut mundo et dominis ejus servitur?
*« Erubesce, Sidon »,* ait mare,
*« Et si causam quaeris, audi quare » :* *(Es 23 : 4)*
Pro modica praebenda longa via curritur -
pro aeterna vita a multis vix pes semel a terra levatur.
Vile praetium quaeritur,
pro uno numismate interdum turpiter litigatur;
pro vana re et parva promissione
die noctuque fatigari non timetur.

3. « Sed, proh pudor! pro bono incommutabili,
pro praemio inaestimabili,
pro summo honore et gloria interminabili,
vel ad modicum fatigari pigritatur.
Erubesce ergo, serve piger et querulose,

quod illi paratiores inveniuntur ad perditionem
quam tu ad vitam!
Gaudent illi amplius ad vanitatem
quam tu ad veritatem!
Equidem a spe sua nonnunquam frustrantur -
sed promissio mea neminem fallit
nec confitentem mihi dimittit inanem.
Quod promisi dabo, quod dixi implebo -
si tamen usque in finem fidelis in dilectione mea quis permanserit.
Ego remunerator sum omnium bonorum
et fortis probator omnium devotorum.

4. « Scribe verba mea in corde tuo
et pertracta diligenter:
erunt enim in tempore tentationis valde necessaria.
Quod non intelligis cum legis
cognosces in die visitationis.
Dupliciter soleo electos meos visitare:
tentatione scilicet et consolatione.
Et duas lectiones eis quotidie lego:
unam increpando eorum vitia,
alteram exhortando ad virtutum incrementa.
*Qui habet verba mea et spernit ea*
*habet qui judicet eum in novissimo die* ». *(Joh 12 : 48)*

## Oratio
## ad implorandum devotionis gratiam

« Domine Deus meus, omnia bona mea tu es.
Et quis ego sum ut audeam ad te loqui?
Ego sum pauperrimus servulus tuus et abjectus vermiculus,
multo pauperior et contemptibilior
quam scio et dicere audeo.
Memento tamen, Domine, quia nihil sum,
nihil habeo nihilque valeo.
Tu solus bonus, justus et sanctus.
Tu omnia potes, omnia praestas, omnia imples -
solum peccatorem inanem relinquens.
*Reminiscere miserationum tuarum* *(Ps 24 : 6)*
et imple cor meum gratia tua,
qui non vis esse vacua opera tua.

« Quomodo possum me tolerare in hac misera vita
nisi me confortaveris misericordia et gratia tua?
*Noli avertere faciem tuam a me*, *(Ps 27 : 9)*
noli visitationem tuam prolongare,
noli consolationem tuam abstrahere,
ne fiat *anima mea sicut terra sine aqua tibi*. *(Ps 143 : 6)*
Domine, *doce me facere voluntatem tuam*. *(Ps 143 : 10)*
Doce me coram te digne et humiliter conversari:
quia sapientia mea tu es, qui in veritate me cognoscis

et cognovisti antequam fieret mundus
et antequam natus essem in mundo ».

## Capitulum 4.
## Quod in veritate et humilitate coram Deo conversandum est

*audio: 10.27*

1. « Fili, ambula coram me in veritate
et in simplicitate cordis tui quaere me semper.
Qui ambulat coram me in veritate
tutabitur ab incursibus vanis
et veritas liberabit eum a seductoribus
et detractionibus iniquorum.
Si veritas te liberaverit vere liber eris
et non curabis de vanis hominum verbis ».

« Domine, verum est.
Sicut dicis, ita, quaeso, mecum fiat.
Veritas tua me doceat, ipsa me custodiat
et usque ad salutarem finem conservet.
Ipsa me liberet ab omni affectione mala et inordinata dilectione:
et ambulabo tecum in magna cordis libertate ».

2. « Ego te docebo », ait Veritas,
« Quae recta sunt et placita coram me.
Cogita peccata tua cum displicentia magna et moerore
et nunquam reputes te aliquid esse propter opera tua.
Revera peccator es
et multis passionibus obnoxius et implicatus.
Ex te semper ad nihil tendis,
cito laberis, cito vinceris,
cito turbaris, cito dissolveris.
Non habes quidquam unde possis gloriari
sed multa unde te debeas vilificare:
quia multo infirmior es quam vales comprehendere.

3. « Nil ergo magnum tibi videatur ex omnibus quae agis.
Nil grande, nil praetiosum et admirabile,
nil reputatione appareat dignum,
nil altum, nil vere laudabile et desiderabile
nisi quod aeternum est.
Placeat tibi super omnia aeterna Veritas,
displiceat tibi semper tua maxima vilitas.
Nil sic temeas, sic vetuperes et fugias
sicut vitia et peccata tua,
quae magis displicere debent quam quaelibet rerum damna.
Quidam non sincere coram me ambulant,
sed quadam curiositate et arrogantia ducti
volunt secreta mea scire et alta Dei intelligere -
se et suam salutem negligentes.

Hi saepe in magnas tentationes et peccata
propter suam superbiam et curiositatem
me eis adversante labuntur.
Time judicia Dei,
expavesce iram Omnipotentis.

4. « Noli autem discutere opera Altissimi
sed tuas iniquitates perscrutare:
in quantis dereliquisti
et quam multa bona neglexisti.
Quidam solum portant suam devotionem in libris,
quidam in imaginibus,
quidam autem in signis exterioribus et figuris.
Quidam habent me in ore - sed modicum in corde.
Sunt alii qui intellectu illuminati et affectu purgati
ad aeterna semper anhelant;
de terrenis graviter audiunt,
necessitatibus naturae dolenter inserviunt:
et hi sentiunt quid Spiritus veritatis loquitur in eis,
quia docet eos terrena despicere et amare caelestia,
mundum neglegere et caelum tota die ac nocte desiderare.

## Capitulum 5.
## De mirabili affectu divini amoris *audio: 14.18*

1. « Benedico te, Pater caelestis, Pater Domini mei Jesu Christi,
qui mei pauperis dignatus es recordari.
*O, Pater misericordiarum et Deus totius consolationis*, *(2Co 1 : 3)*
gratias tibi ago, qui me, indignum omni consolatione,
quandoque tua recreas consolatione.
Benedico te semper et glorifico
cum unigenito Filio tuo et Spiritu Sancto Paracleto
in saecula saeculorum.
Eja, Domine Deus, amator sancte meus,
cum tu veneris in cor meum
exultabunt omnia interiora mea.
*Tu es gloria mea et exultatio cordis mei,* *(Ps 3 : 4 ; Ps 119 : 111)*
*tu spes mea et refugium meum in die tribulationis meae.* *(Ps 59 : 17)*

2. « Sed quia adhuc debilis sum in amore et impefectus in virtute,
ideo necesse habeo a te confortari et consolari.
Propterea visita me saepius et instrue disciplinis sanctis.
Libera me a passionibus malis
et sana cor meum ab omnibus affectionibus inordinatis,
ut intus sanatus et bene purgatus
aptus efficiar ad amandum, fortis ad patiendum,
stabilis ad perseverandum”.

3. Magna res est amor, magnum omnino bonum,
quod solum leve facit omne onerosum

et fert aequaliter omne inaequale:
nam onus sine onere portat
et omne amarum dulce ac sapidum efficit.
Amor Jesu nobilis;
ad magna operanda impellit
et ad desideranda semper perfectiora excitat.
Amor vult esse sursum
nec ullis infimis rebus retineri.
Amor vult esse liber
et ab omni mundana affectione alienus,
ne internus ejus impediatur aspectus,
ne per aliquod commodum temporale implicationes sustineat
aut per incommodum succumbat.
Nihil dulcius est amore, nihil fortius,
nihil altius, nihil latius, nihil jucundius, nihil plenius
nec melius in caelo et in terra:
quia amor ex Deo natus est
nec potest nisi in Deo super omnia creata quiescere.

4. Amans volat, currit et laetatur,
liber est et non tenetur.
Dat omnia pro omnibus et habet omnia in omnibus:
quia in Uno Summo super omnia quiescit,
ex quo omne bonum fluit et procedit.
Non respicit ad dona
sed ad donantem se convertit super omnia bona.
Amor modum saepe nescit
sed super omne modum fervescit.
Amor onus non sentit;
labores non reputat, plus affectat quam valet.
De impossibilitate non causatur
quia cuncta sibi posse et licere arbitratur.
Valet igitur ad omnia
et multa implet et effectui mancipat -
ubi non amans deficit et jacet.

5. Amor vigilat, et dormiens non dormitat.
Fatigatus non lassatur, arctatus non arctatur,
territus non conturbatur.
Sed sicut vivax flamma et ardens facula
sursum erumpit secureque pertransit.
Si quis amat, novit quid haec vox clamat:
magnus clamor in auribus Dei est,
ipse ardens affectus animae,
quae dicit: « Deus meus, amor meus,
tu totus meus et ego totus tuus!

6. « Dilata me in amore,
ut discam interiori cordis ore degustare quam suave sit amare
et in amore liquefieri et natare.

Tenear amore,
vadens supra me prae nimio fervore et stupore.
Cantem amoris canticum,
sequar te Dilectum meum in altum.
Deficit in laude tua anima mea,
jubilans ex amore.
Amem te plus quam me
nec me nisi propter te,
et omnes in te qui vere amant te
sicut jubet lex amoris lucens ex te ».

7. Est amor velox, sincerus, pius,
jucundus et amoenus,
fortis, patiens, fidelis,
prudens, longanimis, virilis,
et se ipsum nunquam quaerens:
ubi enim se ipsum aliquis quaerit
ibi ab amore cadit.
Est amor circumspectus, humilis et rectus,
non mollis, non levis
nec vanis intendens rebus,
sobrius, castus, stabilis, quietus
et in cunctis sensibus custoditus.
Est amor subjectus et obediens praelatis,
sibi vilis et despectus, Deo devotus et gratificus,
fidens et sperans semper in eo
etiam cum sibi non sapit Deus -
quia sine dolore non vivitur in amore.

8. Qui non est paratus omnia pati
et ad voluntatem stare Dilecti,
non est dignus amator appellari.
Oportet amantem omnia dura et amara
propter Dilectum libenter amplecti,
nec ob contraria accidentia ab eo deflecti.

## Capitulum 6.
## De probatione veri amatoris *audio: 20.35*

1. - « Fili, non es adhuc fortis et prudens amator ».
- « Quare, Domine?
- « Quia propter modicam contrarietatem deficis a coeptis
et nimis avide consolationem quaeris.
Fortis amator stat in tentationibus
nec callidis credit persuasionibus inimici.
Sicut ei in prosperis placeo
ita nec in adversis displiceo.

2. « Prudens amator non tam donum amantis considerat
quam dantis amorem.

**Affectum potius attendit quam censum**
**et infra dilectum omnia data ponit.**
**Nobilis amator non quiescit in dono**
**sed in me super omne donum.**
**Non est ideo totum perditum**
**si quandoque minus bene de me vel de sanctis meis sentis**
**quam velles.**
**Affectus ille bonus et dulcis quem interdum percipis**
**effectus gratiae praesentis est**
**et quidam praegustus patriae caelestis -**
**super quo non nimium innitendum,**
**quia vadit et venit.**
**Certare autem adversus incidentes malos motus animi**
**suggestionemque spernere diaboli**
**insigne est virtutis et magni meriti.**

**3. « Non ergo te conturbent alienae phantasiae**
**de quacumque materia ingestae.**
**Forte serva propositum et intentionem rectam ad Deum.**
**Nec est illusio quod aliquando in excessum subito raperis -**
**et statim ad solitas ineptias cordis reverteris.**
**Illas enim invite magis pateris quam agis,**
**et quamdiu displicent et reniteris**
**meritum est et non perditio.**

**4. « Scito quod antiquus inimicus omnino nititur**
**impedire desiderium tuum in bono**
**et ab omni devoto exercitio evacuare:**
**a sanctorum scilicet cultu, a pia passionis meae memoria,**
**a peccatorum utili recordatione, a proprii cordis custodia**
**et a firmo proposito proficiendi in virtute.**
**Multas malas cogitationes ingerit**
**ut taedium tibi faciat et horrorem,**
**ut ab oratione revocet et sacra lectione.**
**Displicet sibi humilis confessio**
**et, si posset, a communione cessare faceret.**
**Non credas ei neque cures illum,**
**licet saepius tibi deceptionis tetenderit laqueos.**
**Sibi imputa cum mala ingerit et immunda,**
**dicito illi: « Vade, immunde spiritus,**
**erubesce, miser!**
**Valde immundus es tu qui talia infers auribus meis.**
**Discede a me, seductor pessime!**
**Non habebis in me partem ullam,**
**sed Jesus mecum erit tanquam bellator fortis -**
**et tu stabis confusus.**
**Malo mori et omnem pœnam subire**
**quam tibi consentire.**
**Tace et obmutesce!**
**Non audiam te amplius,**

**licet plures mihi moliaris molestias.**
***Dominus illuminatio mea et salus mea:***
***quem timebo?***
***Si consistant adversum me castra,***
***non timebit cor meum.*** *(Ps 27 : 1,3)*
***Dominus adjutor meus et redemptor meus* ».** *(Ps 19 : 15)*

**5. « Certa tanquam miles bonus;**
**et si interdum ex fragilitate corruis,**
**resume vires fortiores prioribus**
**confidens de ampliori gratia mea,**
**et multum praecave a vana complacentia et superbia:**
**propter hoc multi in errorem ducuntur**
**et in caecitatem paene incurabilem quandoque labuntur.**
**Sit tibi in cautelam et perpetuam humilitatem**
**ruina haec superborum de se stulte praesumentium ».**

## Capitulum 7.
## De occultanda gratia sub humilitatis custodia *audio: 00.13*

**1. « Fili, utilius est tibi et securius devotionis gratiam abscondere**
**nec in altum te efferre, nec multum inde loqui**
**neque multum ponderare -**
**sed magis temet ipsum despicere**
**et tanquam indigno datam timere.**
**Non est huic affectioni tenacius inhaerendum**
**quae citius potest mutari in contrarium.**
**Cogita in gratia**
**quam miser et inops esse soles sine gratia.**
**Nec est in eo tantum spiritualis vitae profectus**
**cum consolationis habueris gratiam,**
**sed cum humiliter et abnegate patienterque**
**tuleris ejus subtractionem:**
**ita quod tunc ab orationis studio non torpeas**
**nec reliqua opera tua ex usu facienda**
**omnino dilabi permittas.**
**Sed sicut melius potueris et intellexeris**
**libenter quod in te est facias,**
**nec propter ariditatem seu anxietatem mentis quam sentis**
**te totaliter negligas.**

**2. « Multi enim sunt qui, cum non bene eis successerit,**
**statim impatientes fiunt aut desides.**
***Non enim est semper in potestate hominis via ejus*,** *(Jer 10 : 13)*
**sed Dei est dare et consolari**
**quando vult et quantum vult et cui vult,**
**sicut sibi placuerit et non amplius.**
**Quidam incauti propter devotionis gratiam**
**se ipsos destruxerunt:**
**quia plus agere voluerunt quam potuerunt,**

non pensantes suae parvitatis mensuram
sed magis cordis affectum sequentes
quam rationis judicium.
Et quia majora praesumserunt quam Deo placitum fuit
idcirco gratiam cito perdiderunt.
Facti sunt inopes et viles relicti
qui in caelum posuerant nidum sibi -
ut humiliati et depauperati discant non in alis suis volare
sed sub pennis meis sperare.
Qui adhuc novi sunt et imperiti in via Domini,
nisi consilio discretorum se regant,
faciliter decipi possunt et illudi.

3. « Quod si suum sentire magis sequi
quam aliis exercitatis credere volunt,
erit eis periculosus exitus -
si tamen retrahi a proprio conceptu noluerint.
Raro sibi ipsis sapientes ab aliis regi humiliter patiuntur.
Melius est sapere modicum cum humilitate et parva intelligentia
quam magi scientiarum thesauri cum vana complacentia.
Melius est tibi minus habere
quam multum unde posses superbire.
Non satis discrete agit qui se totum laetitiae tradit,
obliviscens pristinae inopiae suae
et casti timoris Domini
qui timet gratiam oblatam amittere.
Nec etiam satis virtuose sapit
qui tempore adversitatis et cujuscumque gravitatis
nimis desperate se gerit,
et minus fidenter de me quam oportet
recogitat ac sentit.

4. « Qui tempore pacis nimis securus esse voluerit,
saepe tempore belli nimis dejectus et formidolosus reperietur.
Si scires semper humilis et modicus in te permanere
nec non spiritum tuum bene moderare et regere,
non incideres tam cito in periculum et offensam.
Consilium bonum est ut, fervoris spiritu concepto,
mediteris quid futurum sit abscedente lumine.
Quod dum contigerit,
recogita et denuo lucem posse reverti,
quam ad cautelam tibi, mihi autem ad gloriam
ad tempus subtraxi.

5. « Utilior est saepe talis probatio
quam si semper prospera pro tua haberes voluntate.
Nam merita non sunt ex hoc existimanda:
si quis plures visiones aut consolationes habeat
vel si peritus sit in Scripturis
aut in altiori ponatur gradu -

**sed si vera fuerit humilitate fundatus**
**et divina caritate repletus,**
**si Dei honorem pure et integre semper quaerat,**
**si se ipsum nihil reputet et in veritate despiciat**
**atque ab aliis etiam despici et humiliari magis gaudeat**
**quam honorari ».**

## Capitulum 8.
## De vili aestimatione sui ipsius in oculis Dei *audio: 05.37*

**1. « *Loquar ad Dominum meum,***
***cum sim pulvis et cinis*.** *(Gen 18 : 27)*
**Si me amplius reputavero,**
**ecce tu stas contra me**
**et dicunt testimonium verum iniquitates meae**
**nec possum contradicere.**
**Si autem me vilificavero et ad nihilum me redegero**
**et ab omni propria reputatione defecero**
**atque sicut sum pulverizavero,**
**erit mihi propitia gratia tua**
**et vicina cordi meo lux tua;**
**et omnis aestimatio, quantulacumque minima,**
**in valle nihilitatis meae submergetur**
**et peribit in aeternum.**
**Ibi ostendes me mihi quid sum, quid fui,**
**et quo deveni:**
**quia nihil sum et nescivi.**
**Si mihi ipsi relinquor,**
**ecce nihil sum, et tota infirmitas -**
**si autem subito me respexeris,**
**statim fortis efficior et novo repleor gaudio.**
**Et mirum valde quod sic repente sublevor**
**et tam benigne a te complector -**
**qui proprio pondere semper ad ima feror.**

**2. « Facit hoc amor tuus gratis praeveniens me**
**et in tam multis subveniens necessitatibus,**
**a gravibus quoque custodiens me periculis**
**et ab innumeris, ut vere dicam, eripiens malis.**
**Me siquidem male amando me perdidi -**
**et te solum quaerendo et pure amando**
**me et te pariter inveni,**
**atque ex amore profundius ad nihilum me redegi.**
**Quia tu, o Dulcissime, facis mecum supra meritum omne**
**et supra id quod audeo sperare vel rogare.**

**3. « Benedictus sis Deus meus!**
**Quia, licet ego omnibus bonis sim indignus,**
**tua tamen nobilitas et infinita bonitas nunquam cessat benefacere**
**etiam ingratis et longe a te aversis.**

Converte nos ad te,
ut simus grati, humiles et devoti:
quia salus nostra tu es,
virtus et fortitudo nostra ».

## Capitulum 9.
## Quod omnia ad Deum
## sicut ad finem ultimum sunt referenda *audio: 08.15*

1. « Fili, ego debeo esse finis tuus supremus et ultimatus
si vere desideras esse beatus.
Ex hac intentione purificabitur affectus tuus,
saepius ad se ipsum et ad creaturas male incurvatus.
Nam si te ipsum in aliquo quaeris
statim in te deficies et arescis.
Omnia ergo ad me principaliter referas,
quia ego sum qui omnia dedi.
Sic singula considera sicut ex summo bono manantia:
et ideo ad me tanquam ad originem cuncta suam sunt reducienda.

2. « Ex me pusillus et magnus, pauper et dives
tanquam ex fonte vivo aquam vivam hauriunt:
et qui mihi sponte et libere deserviunt
gratiam pro gratia accipient.
Qui autem extra me voluerit gloriari
vel in aliquo privato bono delectari
non stabilietur in vero gaudio
neque in corde suo dilatabitur,
sed multipliciter impedietur et angustiabitur.
Nihil ergo tibi de bono adscribere debes
nec alicui homini virtutem attribuas,
sed totum da Deo,
sine quo nihil habet homo.
Ego totum dedi -
ego totum rehabere volo,
et cum magna districtione gratiarum actiones requiro.

3. « Haec est veritas qua fugatur gloriae vanitas.
Et si intraverit caelestis gratia et vera caritas,
non erit aliqua invidia nec contractio cordis
neque privatus amor occupabit.
Vincit enim omnia divina caritas
et dilatat omnes animae vires.
Si recte sapis,
in me solo gaudebis, in me solo sperabis,
quia *nemo bonus nisi solus Deus*, *(Lc 18 : 19)*
qui est super omnia laudandus et in omnibus benedicendus ».

## Capitulum 10.
## Quod spreto mundo dulce est servire Deo *audio: 10.52*

**1. « Nunc iterum loquar, Domine, et non silebo.**
**Dicam in auribus Dei mei, Domini mei et Regis mei**
**qui est in excelso:**
***O, quam magna multitudo dulcedinis tuae, Domine,***
***quam abscondisti timentibus te!*** *(Ps 31 : 20)*
**Sed quid es amantibus,**
**quid toto corde tibi servientibus?**
**Vere ineffabilis dulcedo contemplationis tuae**
**quam largiris amantibus te!**
**In hoc maxime ostendisti mihi dulcedinem caritatis tuae:**
**quia cum no essem fecisti me**
**et cum errarem longe a te reduxisti me ut servirem tibi**
**et praecepisti ut diligam te.**

**2. « O, fons amoris perpetui, quid dicam de te?**
**Quomodo potero tui oblivisci,**
**qui mei dignatus es recordari**
**etiam postquam contabui et perii?**
**Fecisti ultra omnem spem misericordiam cum servo tuo**
**et ultra omne meritum gratiam et amicitiam exhibuisti.**
**Quid retribuam tibi pro gratia ista?**
**Non enim omnibus datum est**
**ut omnibus abdicatis saeculo renuntient**
**et monasticam vitam assumant.**
**Nonquid magnum est ut tibi serviam,**
**cui omnis creatura servire tenetur?**
**Non magnum mihi videri debet servire tibi:**
**sed hoc potius magnum mihi et admirandum apparet,**
**quod tam pauperem et indignum dignaris in servum recipere**
**et dilectis servis tuis adunare.**

**3. « Ecce omnia tua sunt quae habeo et unde tibi servio.**
**Verumtamen vice versa tu magis mihi servis**
**quam ego tibi!**
**Ecce caelum et terra, quae in ministerio hominis creasti,**
**praesto sunt et faciunt quotidie quaecumque mandasti.**
**Et hoc parum est:**
**quin etiam angelos in ministerio hominis ordinasti -**
**transcendit autem haec omnia**
**quod tu ipse homini servire dignatus es,**
**et te ipsum daturum ei promisisti.**

**4. « Quid dabo tibi pro omnibus istis millibus bonis?**
**Utinam possem tibi servire cunctis diebus vitae meae!**
**Utinam vel uno die dignum servitium exhibere sufficerem!**
**Vere tu es dignus omni servitio,**
**omni honore et laude aeterna.**

**Vere Dominus meus es**
**et ego pauper servus tuus,**
**qui totis viribus teneor tibi servire**
**nec unquam in laudibus tuis debeo fastidire.**
**Sic volo, sic desidero -**
**et quidquid mihi deest tu digneris supplere.**

**5. « Magnus honor, magna gloria tibi servire**
**et omnia propter te contemnere.**
**Habebunt enim gratiam magnam**
**qui sponte se subjecerint tuae sanctissimae servituti:**
**invenient suavissimam Spiritus Sancti consolationem**
**qui pro amore tuo omnem carnalem abjecerint delectationem.**
**Consequentur magnam mentis libertatem**
**qui arctam pro nomine tuo ingrediuntur viam**
**et omnem mundanam neglexerint curam.**

**6. « O, grata et jucunda Dei servitus,**
**qua homo veraciter efficitur liber et sanctus!**
**O, sacer status religiosi famulatus,**
**qui hominem angelis reddit aequalem,**
**Deo placabilem, daemonibus terribilem,**
**et cunctis fidelibus commendabilem!**
**O, amplectendum et semper optandum servitium**
**quo summum promeretur bonum**
**et gaudium acquiritur sine fine mansurum! »**

## Capitulum 11.
## Quod desideria cordis examinanda sunt et moderanda

***audio: 15.34***

**1. - « Fili, oportet te adhuc multa addiscere**
**quae necdum bene didicisti ».**
**- « Quae sunt haec, Domine?**
**- « Ut desiderium tuum ponas totaliter**
**secundum beneplacitum meum**
**et tui ipsius amator non sis,**
**sed meae voluntatis cupidus aemulator.**
**Desideria te saepe accendunt et vehementer impellunt -**
**sed considera an propter honorem meum**
**an propter tuum commodum magis movearis.**
**Si ego sum in causa**
**bene contentus eris quomodocumque ordinavero -**
**si autem de proprio quaesitu aliquid latet,**
**ecce hoc est quod te impedit et gravat.**

**2. « Cave ergo ne nimium innitaris super desiderio praeconcepto,**
**me non consulto,**
**ne forte postea paeniteat aut displiceat**
**quod primo placuit et quasi pro meliore zelasti.**

**Non enim omnis affectio quae videtur bona statim est sequenda**
**sed neque omnis contraria affectio ad primum fugienda.**
**Expedit interdum refrenatione uti,**
**etiam in bonis studiis et desideriis,**
**ne per importunitatem mentis distractionem incurras,**
**ne aliis per indisciplinationem scandalum generes**
**vel etiam per resistentiam aliorum subito turberis et corruas.**

**3. « Interdum vero oportet violentia uti**
**et viriliter appetitui sensitivo contraïre,**
**nec advertere quid velit caro et quid non velit**
**sed hoc magis satagere ut subjecta sit etiam nolens spiritui.**
**Et tamdiu castigari debet et cogi servituti subesse**
**donec parata sit ad omnia,**
**paucisque contentari discat et simplicibus delectari**
**nec contra aliquod inconveniens murmurare ».**

## Capitulum 12.
## De informatione patientiae
## et luctamine adversus concupiscentias *audio: 18.01*

**1. « Domine Deus, ut video,**
**patientia est mihi valde necessaria:**
**multa enim in hac vita accidunt contraria.**
**Nam qualitercumque ordinavero de pace mea,**
**non potest esse sine bello et dolore vita mea.**

**- « Ita est, fili.**
**Sed volo te non talem quaerere pacem**
**quae tentationibus careat aut contraria non sentiat,**
**sed tunc etiam aestimare te pacem invenisse**
**cum fueris variis tribulationibus exercitatus**
**et in multis contrarietatibus probatus.**

**2. « Si dixeris te non posse multa pati,**
**quomodo tunc sustinebis ignem purgatorii?**
**De duobus malis minus est semper eligendum:**
**ut ergo aeterna futura supplicia possis evadere**
**mala praesentia studeas pro Deo aequanimiter tolerare.**
**An putas quod homines saeculi hujus nihil vel parum patiantur?**
**Nec hoc invenies,**
**etiamsi delicatissimos quaesieris.**

**3. «Sed habent », inquis, « Multas delectationes,**
**et proprias sequuntur voluntates:**
**ideoque parum ponderant suas tribulationes ».**
**Esto, ita sit! ut habeant quidquid voluerint -**
**sed quamdiu putas durabit?**
**Ecce, *quemadmodum fumus* *(Ps 37 : 20)***
**deficient abundantes in saeculo**

et nulla erit recordatio praeteritorum gaudiorum.
Sed et cum adhuc vivunt,
non sine amaritudine et taedio ac timore in eis quiescent:
ex eadem namque re unde sibi delectationem concipiunt
inde doloris pœnam frequenter recipiunt.
Juste illis fit,
ut, quia inordinate delectationes quaerunt et sequuntur,
non sine confusione et amaritudine eas expleant.

4. « O, quam breves, quam falsae,
quam inordinatae et turpes omnes sunt!
Verumtamen prae ebrietate et caecitate non intelligunt,
sed *velut muta animalia* *(2P 2: 12)*
propter modicum corruptibilis vitae delectamentum
mortem animae incurrunt.
Tu ergo, fili, *post concupiscentias tuas non eas*
*et a voluntate tua avertere*. *(Eccl 18 : 30)*
*Delectare in Domino,*
*et dabit tibi petitiones cordis tui*. *(Ps 37 : 4)*

5. « Etenim si veraciter vis delectari
et abundantius a me consolari,
ecce in contemptu omnium mundanorum
et in abscissione omnium infirmarum delectationum
erit benedictio tua,
et copiosa tibi reddetur consolatio.
Et quanto te plus ab omni creaturarum solatio subtraxeris
tanto in me suaviores et potentiores consolationes invenies -
sed primo non sine quadam tristitia et labore certaminis
ad has pertinges.
Obsistet inolita consuetudo -
sed meliori consuetudine devincetur;
remurmurabit caro -
sed fervore spiritus fraenabitur.
Instigabit et exacerbabit te serpens antiquus -
sed oratione fugabitur,
insuper et labore utili aditus ei magnus obstruetur ».

## Capitulum 13.
## De obedientia humili subditi
## ad exemplum Jesu Christi *audio: 21.54*

1. « Fili, qui se subtrahere nititur ab obedientia
ipse se subtrahit a gratia,
et qui quaerit habere privata
amittit communia.
Qui non libenter et sponte suo superiori se subdit,
signum est quod caro sua necdum perfecte sibi obedit
sed saepe recalcitrat et remurmurat.
Disce ergo celeriter superiori tuo te submittere

si carnem propriam optas subjugare.
Citius namque exterior vincitur inimicus
si interior homo non fuerit devastatus.
Non est molestior et pejor animae hostis quam tu ipse tibi
non bene concordans spiritui.
Oportet omnino verum te assumere tui ipsius contemptum
si vis praevalere adversus carnem et sanguinem.
Quia adhuc nimis inordinate te diligis
ideo plene te resignare aliorum voluntati trepidas.

2. « Sed quid magnum si tu, qui pulvis es et nihil,
propter Deum te homini subdis,
quando ego Omnipotens et Altissimus,
qui cuncta creavi ex nihilo,
me homini propter te humiliter subjeci?
Factus sum omnium humillimus et infirmus
ut tuam superbiam mea humilitate vinceres.
Disce obtemperare, pulvis,
disce te humiliare, terra et limus,
et sub omnium pedibus incurvare.
Disce voluntates tuas frangere
et ad omnem subjectionem te dare.

3. « Exardesce contra te,
nec patiaris tumorem in te vivere
sed ita subjectum et parvulum te exhibe,
ut omnes super te ambulare possint
et *sicut lutum platearum* conculcare. *(Ps 18 : 43)*
Quid habes, homo inanis, conqueri?
Quid, sordide peccator, potes contradicere exprobrantibus tibi,
qui toties Deum offendisti et infernum multoties meruisti?
Sed pepercit tibi oculus meus
quia praetiosa fuit anima tua in conspectu meo,
ut cognosceres dilectionem meam
et gratus semper beneficiis meis existeres,
et ut ad veram subjectionem et humilitatem te jugiter dares
patienterque proprium contemptum ferres ».

## Capitulum 14.
## De occultis Dei judiciis considerandis,
## ne extollamur in bonis *audio: 24.51*

1. « Intonas super me judicia tua, Domine,
et timore ac tremore concutis omnia ossa mea
et expavescit anima mea valde.
Sto attonitus et considero
quia *caeli non sunt mundi in conspectu tuo*. *(Jb 15 : 15)*
Si *in angelis reperisti pravitatem* *(Jb 9 : 18)* nec tamen pepercisti -
quid fiet de me?
*Ceciderunt stellae de caelo* - *(Ap 6 : 13)*

et ego pulvis quid praesumo?
Quorum opera videbantur laudabilia ceciderunt ad infima,
et qui comedebant panem angelorum vidi siliquis delectari porcorum.

2. « Nulla est ergo sanctitas si manum tuam, Domine, subtrahas.
Nulla prodest sapientia si gubernare desistas;
nulla juvat fortitudo si conservare desinas;
nulla secura castitas si eam non protegas;
nulla propria prodest custodia si non adsit tua sacra vigilantia.
Nam relicti mergimur et perimus -
visitati vero erigimur et vivimus;
instabiles quippe sumus - sed per te confirmamur,
tepescimus - sed a te accendimur.

3. « O, quam humiliter et abjecte
mihi de me ipso sentiendum est!
Quam nihili pendendum
si quid boni videor habere!
O, quam profunde submittere me debeo
sub abyssalibus judiciis tuis, Domine,
ubi nihil aliud me esse invenio
quam nihil et nihil.
O, pondus immensum!
O pelagus intransnatabile, ubi nihil de me reperio
quam in totum nihil.
Ubi est ergo latebra gloriae?
Ubi confidentia de virtute concepta?
Absorpta est omnis gloriatio vana
in profunditate judiciorum tuorum super me.

4. « Quid est omnis caro in conspectu tuo?
*Numquid gloriabitur lutum contra formantem se?* *(Es 29 : 16)*
Quomodo potest erigi vaniloquio
cujus cor in veritate subjectum est Deo?
Non eum totus mundus erigeret
quem veritas sibi subjecit,
nec omnium laudantium ore movebitur
qui totam spem suam in Deo firmavit.
Nam et ipsi qui loquuntur ecce omnes nihil:
deficient enim cum sonitu verborum -
*veritas autem Domini manet in aeternum* ». *(Ps 117 : 2)*

## Capitulum 15.
## Qualiter standum sit ac dicendum
## in omni re desiderabili *audio: 00.12*

1. « Fili, sic dicas in omni re:
« Domine, si tibi placitum fuerit, fiat hoc ita;
Domine, si sit honor tuus, fiat hoc in nomine tuo;

**Domine, si mihi videris expedire et utile esse probaveris,**
**tunc dona mihi hoc uti ad honorem tuum -**
**sed si mihi nocivum fore cognoveris**
**nec animae meae saluti prodesse,**
**aufer a me tale desiderium ».**
**Non enim omne desiderium est a Spiritu Sancto,**
**etiamsi homini videatur rectum et bonum.**
**Difficile est pro vero judicare utrum spiritus bonus an alienus**
**te impellat ad desiderandum hoc vel illud,**
**an etiam ex proprio movearis spiritu.**
**Multi in fine sunt decepti**
**qui primo bono spiritu videbantur inducti.**

**2. « Igitur semper cum timore Dei et cordis humilitate**
**desiderandum est et petendum quidquid desiderabile menti occurrit,**
**maximeque cum propria resignatione**
**mihi totum committendum est atque dicendum:**
**« Domine, tu scis qualiter melius est.**
**Fiat hoc vel illud sicut volueris.**
**Da quod vis, et quantum vis, et quando vis.**
**Fac mecum sicut scis et sicut tibi magis placuerit**
**et major honor tuus fuerit.**
**Pone me ubi vis**
**et libere age mecum in omnibus.**
**In manu tua sum:**
**gira et reversa me per circuitum.**
**En, servus tuus ego, paratus ad omnia:**
**quoniam non desidero mihi vivere, sed tibi -**
**utinam digne et perfecte ».**

## Oratio
## **pro beneplacito Dei perficiendo**

**Concede mihi, benignissime Jesu, gratiam tuam,**
**ut mecum sit et mecum laboret**
**mecumque usque in finem perseveret.**
**Da mihi hoc semper desiderare et velle**
**quod tibi magis acceptum est et carius placet.**
**Tua voluntas mea sit,**
**et mea voluntas tuam semper sequatur**
**et optime ei concordet.**
**Sit mihi unum velle et nolle tecum:**
**nec aliud posse velle aut nolle**
**nisi quod vis et nolis.**

**Da mihi omnibus mori quae in mundo sunt**
**et propter te amare contemni et nesciri in hoc saeculo.**
**Da mihi super omnia desiderata in te requiescere**
**et cor meum in te pacificare.**
**Tu vera pax cordis, tu sola requies -**

extra te dura sunt omnia et inquieta.
*In hac pace in idipsum*,
hoc est in te, uno summo aeterno bono,
*dormiam et requiescam*. *(Ps 4 : 9)*
Amen.

## Capitulum 16.
## Quod verum solatium
## in solo Deo est quaerendum *audio: 03.43*

1. « Quidquid desiderare possum vel cogitare ad solatium meum,
non hic exspecto, sed in posterum:
quod, si omnia solatia mundi solus haberem
et omnibus deliciis perfrui possem,
certum est quod diu durare no possent.
Unde non poteris, anima mea, plene consolari nec perfecte recreari
nisi in Deo, consolatiore pauperum ac susceptore humilium.
Exspecta modicum, anima mea:
exspecta divinum promissum,
et habebis abundantiam omnium bonorum in caelo.
Si nimis inordinate ista appetis praesentia
perdes aeterna et caelestia.
Sint temporalia in usu, aeterna in desiderio.
Non potes aliquo bono temporali satiari:
quia ad haec fruenda non es creata.

2. « Etsi omnia creata bona haberes
non posses esse felix et beata;
sed in Deo, qui cuncta creavit,
tota beatitudo tua et felicitas consistit,
non qualis videtur et laudatur a stultis mundi amatoribus,
sed qualem exspectant boni Christi fideles
et praegustant interdum spirituales ac mundi corde,
*quorum conversatio est in caelis*. *(Phil 3 : 9)*
Vanum est et breve omne humanum solatium -
beatum et verum solatium quod intus a veritate percipitur.
Devotus homo ubique secum fert consolatorem suum Jesum
et dicit ad eum:
« Adesto mihi, Domine Jesu, in omni loco et tempore.
Haec mihi sit consolatio:
libenter velle carere omni humano solatio.
Et si tua defuerit consolatio,
sit mihi tua voluntas et justa probatio pro summo solatio.
*Non enim in perpetuum irasceris*
*neque in aeternum comminaberis* » . *(Ps 103 : 9)*

## Capitulum 17.
## Quod omnis sollicitudo
## in Deo statuenda sit *audio: 06.13*

**1. « Fili, sine me tecum agere quod volo:**
**ego scio quid expedit tibi.**
**Tu cogitas sicut homo,**
**tu sentis in multis sicut humanus suadet affectus.**

**2. - « Domine, verum est quod dicis.**
**Major est sollicitudo tua pro me**
**quam omnis cura quam ego gerere possum pro me.**
**Nimis enim casualiter stat**
**qui non projicit omnem sollicitudinem suam in te.**
**Domine, dummodo voluntas mea recta et firma ad te permaneat,**
**fac de me quidquid tibi placuerit.**
**Non enim potest esse nisi bonum quidquid de me feceris.**
**Si me vis esse in tenebris, sis benedictus -**
**et si me vis esse in luce, sis iterum benedictus;**
**si me dignaris consolari, sis benedictus -**
**et si me vis tribulari, sis aeque semper benedictus.**

**3. - « Fili, sic oportet te stare**
**si mecum desideras ambulare.**
**Ita promtus esse debes ad patiendum**
**sicut ad gaudendum.**
**Ita libenter debes esse inops et pauper**
**sicut plenus et dives.**

**4. - « Domine, libenter patiar pro te**
**quidquid volueris venire super me.**
**Indifferenter volo de manu tua bonum et malum,**
**dulce et amarum, laetum et triste suscipere**
**et pro omnibus mihi contingentibus gratias agere.**
**Custodi me ab omni peccato,**
**et non timebo mortem nec infernum.**
***Dummodo in aeternum me non projicias*** ***(Lam 5 : 20)***
***nec deleas de libro vitae,*** ***(Ap 3 : 5)***
**non mihi nocebit quidquid veniret tribulationis super me ».**

## Capitulum 18.
## Quod temporales miseriae
## exemplo Christi aequanimiter sunt ferendae *audio: 08.24*

**1. « Fili, ego descendi de caelo pro tua salute.**
**Suscepi tuas miserias**
**non necessitate sed caritate trahente,**
**ut patientiam disceres**
**et temporales miserias non indignanter ferres.**
**Nam ab hora ortus mei usque ad exitum in cruce**

non defuit mihi tolerantia doloris:
defectum rerum temporalium magnum habui;
multas querimonias de me frequenter audivi,
confusiones et opprobria benigne sustinui.
Pro beneficiis ingratitudinem recepi,
pro miraculis blasphemias, pro doctrina reprehensiones.

2. - « Domine, quia tu patiens fuisti in vita tua,
in hoc maxime implendo praeceptum Patris tui,
dignum est ut ego misellus peccator
secundum voluntatem tuam patienter me sustineam,
et donec ipse volueris
onus corruptibilis vitae pro salute mea portem.
Nam etsi onerosa sentitur praesens vita
facta est tamen jam per gratiam tuam valde meritoria,
atque exemplo tuo et sanctorum tuorum vestigiis
infirmis tolerabilior et clarior.
Sed et multo magis consolatoria quam olim in lege veteri fuerat,
cum porta caeli clausa persisteret
et obscurior etiam via ad caelum videbatur,
quando tam pauci regnum caelorum quaerere curabant;
sed neque qui tunc justi erant et salvandi
ante passionem tuam et sacrae mortis debitum
caeleste regnum poterant introire.

3. « O, quantas tibi gratias teneor referre,
quod viam rectam et bonam dignatus es mihi et cunctis fidelibus
ad aeternum regnum tuum ostendere!
Nam vita tua via nostra
et per sanctam patientiam ambulamus ad te,
qui es corona nostra.
Nisi tu nos praecessisses et docuisses
quis sequi curaret?
Heu! quanti longe retroque manerent
nisi tua praeclara exempla inspicerent!
Ecce, adhuc tepescimus
auditis tot signis tuis et doctrinis.
Quid fieret si tantum lumen ad sequendum te non haberemus? »

## Capitulum 19.
## De tolerantia injuriarum,
## et quis verus patiens probetur *audio: 11.23*

1. « Quid est quod loqueris, fili?
Cessa conqueri
considerata mea et aliorum sanctorum passione.
*Nondum usque ad sanguinem restitisti.* *(Hb 12 : 4)*
Parum est quod tu pateris in comparatione eorum
qui tam multa passi sunt,
tam fortiter tentati, tam graviter tribulati,

tam multipliciter probati et exercitati.
Oportet te igitur aliorum graviora ad mentem reducere
ut levius feras tua minima.
Et si tibi minima non videntur,
vide ne et hoc tua faciat impatientia.
Sive tamen parva, sive magna sint,
stude cuncta patienter suferre.

2. « Quanto melius ad patiendum te disponis
tanto sapientius agis et amplius promereris:
feres quoque levius
animo et usu ad hoc non segniter paratus.
Nec dicas: « Non valeo haec ab homine tali pati
nec hujuscemodi mihi patienda sunt:
grave enim intulit damnum
et improperat mihi quae nunquam cogitaveram -
sed ab alio libenter patiar
et sicut patienda videro ».
Insipiens est talis cogitatio,
quae virtutem patientiae non considerat
nec a quo coronanda erit,
sed magis personas et offensas sibi illatas perpendit.

3. « Non est verus patiens qui pati non vult
nisi quantum sibi visum fuerit et a quo sibi placuerit.
Verus autem patiens non attendit a quo homine
utrum a praelato suo, an ab alio aequali an inferiori,
utrum a bono et sancto viro
vel a perverso et indigno exerceatur -
sed indifferenter ab omni creatura
quantumcumque et quotiescumque ei aliquid adversi acciderit,
totum hoc de manu Dei gratanter accipit
et ingens lucrum reputat:
quia nihil apud Deum, quantumlibet parvum
pro Deo tamen passum,
poterit sine merito transire.

4. « Esto itaque expeditus ad pugnam
si vis habere victoriam.
Sine certamine non potes venire ad patientiae coronam.
Si pati non vis, recusas coronari -
si autem coronari desideras
certa viriliter, sustine patienter.
Sine labore non tenditur ad requiem
nec sine pugna pervenitur ad victoriam.

5. - « Fiat, Domine, mihi possibile per gratiam
quod mihi impossibile videtur per naturam.
Tu scis quod modicum possum pati
et quod cito dejicior levi exsurgente adversitate.

Efficiatur mihi quaelibet exercitatio tribulationis amabilis et optabilis:
nam pati et vexari pro te valde salubre est animae meae ».

## Capitulum 20.
## De confessione propriae infirmitatis
## et hujus vitae miseriis *audio: 15.02*

1. « *Confitebor adversus me injustitiam meam*, *(Ps 32 : 5)*
confitebor tibi, Domine, infirmitatem meam.
Saepe parva res est quae me dejicit et contristat.
Propono me fortiter acturum -
sed cum modica tentatio venerit
magna mihi angustia fit.
Valde vilis quandoque res est
unde gravis tentatio provenit.
Et dum puto me aliquantulum tutum,
cum non sentio
invenio me nonnunquam paene devictum ex levi flatu.

2. « Vide ergo, Domine, humilitatem meam
et fragilitatem tibi undique notam.
Miserere, *et eripe me de luto ut non infigar*, *(Ps 69 : 15)*
ne permaneam devictus usquequaque.
Hoc est quod me frequenter reverberat et coram te confundit:
quod tam labilis sum et infirmus ad resistendum passionibus -
et si non omnino ad consensionem,
tamen mihi etiam molesta et gravis est earum insectatio
et taedet valde sic quotidie vivere in lite.
Exhinc nota sit mihi infirmitas mea:
quia multo facilius irruunt abominandae semper phantasiae
quam discedunt.

3. « Utinam, fortissime Deus Israel, zelator animarum fidelium,
respicias servi tui laborem et dolorem,
assistasque illi in omnibus ad quaecumque perrexerit.
Robora me caelesti fortitudine:
ne vetus homo, misera caro spiritui necdum plene subacta,
valeat dominari,
adversus quam certare oportebit quamdiu spiratur
in hac vita miserrima.
Heu! qualis est haec vita
ubi non desunt tribulationes et miseriae,
ubi plena laqueis et hostibus sunt omnia?
Nam una tribulatione seu tentatione recedente,
alia accedit,
sed et priore adhuc durante conflictu
aliae plures superveniunt et insperatae ».

4. Et quomodo potest amari vita tantas habens amaritudines,

tot subjecta calamitatibus et miseriis?
Quomodo etiam dicitur *vita* tot generans mortes et pestes! -
et tamen amatur,
et delectari in ea a multis quaeritur.
Reprehenditur frequenter mundus quod fallax sit et vanus -
nec tamen facile relinquitur,
quia concupiscentiae carnis nimis dominantur.
Sed alia trahunt ad amandum, alia ad contemnendum.
Trahunt ad amorem mundi *desiderium carnis,*
*desiderium oculorum et superbia vitae -* *(1 Joh 2 : 16)*
sed pœnae ac miseriae juste sequentes ea
odium mundi pariunt et taediunt.

5. Sed vincit, proh dolor! delectatio prava
mentem mundo deditam,
et *esse sub sentibus delicias reputat*, *(Jb 30: 7)*
quia Dei suavitatem et internam virtutis amœnitatem
nec vidit nec gustavit.
Qui autem mundum perfecte contemnunt
et Deo vivere sub sancta disciplina student,
isti divinam dulcedinem veris abrenuntiatoribus promissam
non ignorant,
et quam graviter mundus errat et varie fallitur
clarius vident.

## Capitulum 21.
## Quod in Deo super omnia bona et dona requiescendum est

*audio: 19.00*

1. « Super omnia et in omnibus requiesces, anima mea,
in Domino semper,
quia ipse sanctorum aeterna requies.
Da mihi, dulcissime et amantissime Jesu,
in te super omnem creaturam requiescere,
super omnem salutem et pulchritudinem,
super omnem gloriam et honorem,
super omnem potentiam et dignitatem,
super omnem scientiam et subtilitatem,
super omnes divitias et artes,
super omnem laetitiam et exultationem,
super omnem famam et laudem,
super omnem suavitatem et consolationem,
super omnem spem et promissionem,
super omne meritum et desiderium;
super omnia dona et munera
quae potes dare et infundere;
super omne gaudium et jubilationem
quam potest mens capere et sentire -
denique super omnes angelos et archangelos
et super omnem exercitum caeli,

**super omnia visibilia et invisibilia -**
**et super omne quod tu, Deus meus, non es.**

**2. « Quia tu, Domine Deus meus, super omnia optimus es.**
**Tu solus altissimus, tu solus potentissimus,**
**tu solus sufficientissimus et plenissimus,**
**tu solus suavissimus et solatiosissimus,**
**tu solus pulcherrimus et amantissimus.**
**Tu solus nobilissimus et gloriosissimus super omnia,**
**in quo cuncta bona simul et perfecta sunt**
**et semper fuerunt et erunt.**
**Atque ideo minus est et insufficiens**
**quidquid praeter te ipsum mihi donas**
**aut de te ipso revelas vel promittis,**
**te non viso nec plene adepto:**
**quoniam quidem non potest cor meum veraciter requiescere**
**nec totaliter contentari,**
**nisi in te requiescat**
**et omnia dona omnemque creaturam transcendat.**

**3. « O, mi dilectissime sponse Jesu Christe, Amator purissime,**
**Dominator universae creaturae,**
**quis mihi det pennas verae libertatis**
**ad volandum et pausandum in te?**
**O, quando ad plenum dabitur mihi vacare**
**et videre quam suavis es, Domine Deus meus?**
**Quando ad plenum me recolligam in te,**
**ut prae amore tuo non sentiam me**
**sed te solum supra omnem sensum et modum**
**in modo non omnibus noto?**
**Nunc autem frequenter gemo**
**et infelicitatem meam cum dolore porto,**
**quia multa mala in hac valle miseriarum occurrunt**
**quae me saepius conturbant, contristant et obnubilant,**
**saepius impediunt et distrahunt, alliciunt et implicant,**
**ne liberum habeam accessum ad te**
**et ne jucundis fruar amplexibus praesto semper beatis spiritibus.**

**4. « Moveat te suspirium meum et desolatio multiplex in terra,**
**O, Jesu splendor aeternae gloriae,**
**solamen peregrinantis animae!**
**Apud te est os meum sine voce -**
**et silentium meum loquitur tibi.**
**Usquequo tardat venire Deus meus?**
**Veniat ad me pauperculum suum et laetum faciat!**
**Mittat manum suam**
**et miserum eripiat de omni angustia.**
**Veni, veni, quia sine te nulla erit laeta dies aut hora:**
**quia tu laetitia mea**
**et sine te vacua est mensa mea.**

**Miser sum**
**et quodammodo incarceratus et compeditus gravatus,**
**donec luce praesentiae tuae me reficias ac libertati dones,**
**vultumque amicabilem demonstres.**

**5. « Quaerant alii pro te aliud quodcumque libuerit -**
**mihi aliud interim nihil placet nec placebit**
**nisi tu, Deus meus, spes mea, salus aeterna.**
**Non reticebo nec depraecari cessabo**
**donec gratia tua revertatur mihique tu intus loquaris ».**

**6. - « Ecce adsum: ecce ego ad te venio,**
**quia invocasti me.**
**Lacrymae tuae et desiderium animae tuae,**
**humiliatio tua et contritio cordis**
**inclinaverunt me et adduxerunt ad te ».**

**7. - « Et dixi: Domine, vocavi te et desideravi frui te,**
**paratus omnia respuere propter te:**
**tu enim prior excitasti me ut quaererem te.**
**Sis ergo benedictus, Domine,**
***qui fecisti hanc bonitatem cum servo tuo***
***secundum multitudinem misericordiae tuae*. *(Ps 119 : 65)***
**Quid habet ultra dicere servus tuus coram te**
**nisi ut humiliet se valde ante te,**
**memor semper propriae iniquitatis et vilitatis?**
**Non enim est similis tui in cunctis mirabilibus caeli et terrae.**
**Sunt opera tua bona valde, *judicia vera*, *(Ap 19 : 2)***
**et providentia tua reguntur universa.**
**Laus ergo tibi et gloria, o Patris sapientia!**
**Te laudet et benedicat os meum, anima mea,**
**et cuncta creata simul! »**

## Capitulum 22.
## De recordatione multiplicium beneficiorum Dei *audio: 24.52*

**1. « Aperi, Domine, cor meum in lege tua**
**et in praeceptis tuis doce me ambulare.**
**Da mihi intelligere voluntatem tuam**
**ut cum magna reverentia ac diligenti consideratione**
**beneficia tua tam in generali quam in speciali memorari,**
**ut digne tibi exhinc valeam gratias referre.**
**Verum scio et confiteor**
**nec pro minimo puncto me posse debitas gratiarum laudes per-**
**solvere.**
**Minor ego sum omnibus bonis mihi praestitis:**
**et cum tuam nobilitatem attendo**
**deficit prae magnitudine spiritus meus.**

**2. « Omnia quae in anima habemus et corpore**

et quaecumque exterius vel interius
naturaliter vel supernaturaliter possidemus
tua sunt beneficia,
et te beneficum pium ac bonum commendant,
a quo bona cuncta accepimus.
Et si alius plura alius pauciora accepit,
omnia tamen tua sunt
et sine te nec minimum potest haberi.
Ille qui majora accepit non potest merito suo gloriari
nec super alios extolli, nec minori insultare:
quia ille major et melior qui sibi minus adscribit
et in regratiando humilior est atque devotior.
Et qui omnibus viliorem se existimat et indigniorem se judicat
aptior est ad percipienda majora.

3. « Qui autem pauciora accepit contristari non debet
nec indignanter ferre neque ditiori invidere -
sed te potius attendere et tuam bonitatem maxime laudare,
quod tam affluenter, tam gratis et libenter
sine personarum acceptione tua munera largiris.
Omnia ex te
et ideo omnibus es laudandus.
Tu scis quid unicuique donari expediat;
et cur iste minus et ille amplius habeat
non nostrum sed tuum est hoc discernere,
apud quem singulorum definita sunt merita.

4. « Unde, Domine Deus,
pro magno etiam reputo beneficio non multa habere
unde exterius et secundum homines laus et gloria appareat:
ita ut quis, considerata paupertate et vilitate personae suae,
non modo gravitatem aut tristitiam vel dejectionem inde concipiat,
sed potius consolationem et hilaritatem magnam.
Quia tu, Deus, pauperes et humiles atque huic mundo despectos
tibi elegisti in familiares et domesticos.
Testes sunt ipsi apostoli tui,
quos *principes super omnem terram constituisti*. *(Ps 45 : 17)*
Fuerunt tamen sine querela conversati in mundo,
tam humiles et simplices sine omni malitia et dolo,
ut etiam *pati contemelias gauderent pro nomine tuo* *(Act 5 : 41)*
et quae mundus abhorret ipsi amplecterentur affectu magno.

5. « Nihil ergo amatorem tuum et cognitorem beneficiorum tuorum
ita laetificare debet
sicut voluntas tua in eo et beneplacitum aeternae dispositionis tuae,
de qua tantum contentari debet et consolari
ut ita libenter velit esse minimus
sicut aliquis optaret esse maximus,
et ita pacificus et contentus in novissimo sicut in loco primo
atque ita libenter despicabilis et abjectus

**nullius quoque nominis et famae**
**sicut caeteris honorabilior et major in mundo.**
**Nam voluntas tua et amor honoris tui omnia excedere debet,**
**et plus eum consolari magisque placere**
**quam omnia beneficia sibi data vel danda ».**

## Capitulum 23.
## De quatuor magnam importantibus pacem *audio: 00.10*

**1. « Fili, nunc docebo te viam pacis et verae libertatis ».**

**2. - « Fac, Domine, quod dicis,**
**quia hoc mihi est gratum audire ».**

**3. - « Stude, fili,**
**alterius potius facere voluntatem quam tuam;**
**elige semper minus quam plus habere;**
**quaere semper inferiorem locum et omnibus subesse;**
**opta semper et ora ut voluntas Dei integre in te fiat.**
**Ecce, talis homo ingreditur fines pacis et quietis ».**

**4. - « Domine, sermo tuus iste brevis**
**multum in se continet perfectionis.**
**Parvus est dictu,**
**sed plenus sensu et uber in fructu.**
**Nam si posset a me fideliter custodiri**
**non deberet tam facilis in me turbatio oriri.**
**Nam quoties me impacatum sentio et gravatum**
**ab hac doctrina me recessisse invenio.**
**Sed tu qui omnia potes et animae profectum semper diligis,**
**adauge majorem gratiam**
**ut possim tuum complere sermonem et meam perficere salutem».**

### Oratio contra cogitationes malas

***Domine Deus meus, ne elongeris a me!*** *(Ps 71 : 12)*
**Deus meus, in auxilium meum respice:**
**quoniam insurrexerunt in me variae cogitationes**
**et timores magni affligentes animam meam.**
**Quomodo pertransibo illaesus?**
**Quomodo perfringam eas?**
***« Ego »*, inquit, *« Ante te ibo***
***et gloriosos terrae humiliabo.*** *(Es 45 : 2)*
**Aperiam januas carceris**
**et arcana secretorum revelabo tibi ».**
**Fac, Domine, ut loqueris,**
**et fugiant a facie tua omnes iniquae cogitationes.**
**Haec spes et unica consolatio mea:**
**ad te in omni tribulatione confugere,**
**tibi confidere, ex intimo invocare,**

et patienter consolationem tuam exspectare.

### Oratio pro illuminatione mentis

Clarifica me, Jesu bone, claritate interni luminis
et educ de habitaculo cordis mei tenebras universas.
Cohibe evagationes multas
et vim facientes elide tentationes.
Pugna fortiter pro me et expugna malas bestias,
concupiscentias dico illecebrosas,
ut *fiat pax in virtute tua* *(Ps 122 : 7)*
et abundantia laudis tuae resonet in aula sancta,
hoc est in conscientia pura.
Impera ventis et tempestatibus,
dic mari: « Quiesce! » et aquiloni: « Ne flaveris! »
*et erit tranquillitas magna*. *(Mrc 4 : 39)*
*Emitte lucem tuam et veritatem* *(Ps 43 : 3)*
ut luceant super terram,
quia terra sum inanis et vacua donec illumines me.
Effunde gratiam desuper,
perfunde cor meum rore caelesti,
ministra devotionis aquas ad irrigandum faciem terrae
ad producendum fructum bonum et optimum.
Eleva mentem pressam mole peccatorum
et ad caelestia totum desiderium meum suspende,
ut gustata suavitate supernae felicitatis
pigeat de terrenis cogitare.
Rape me et eripe ab omni creaturarum indurabili consolatione:
quia nulla res creata appetitum meum valet plenarie quietare
et consolari.
Junge me tibi inseparabili dilectionis vinculo:
quoniam tu solus sufficis amanti,
et absque te frivola sunt universa.

## Capitulum 24.
## De evitatione curiosae inquisitionis
## super alterius vita *audio: 04.35*

1. « Fili, noli esse curiosus
nec vacuas gerere sollicitudines.
*« Quid hoc vel illud ad te?*
*Tu me sequere ».* *(Joh 21 : 22)*
Quid enim ad te utrum ille sit talis vel talis
aut iste sic et sic agit vel loquitur?
Tu non indiges respondere pro aliis,
sed pro te ipso rationem reddes:
quid ergo te implicas?
Ecce, ego omnes cognosco
et cuncta quae sub sole fiunt video,
et scio qualiter cum unoquoque sit,

quod cogitet, quid velit
et ad quem finem tendat ejus intentio.
Mihi igitur omnia committenda sunt:
tu vero serva te in bona pace
et dimitte agitantem agitare quantum voluerit.
Veniet super eum quidquid fecerit vel dixerit,
quia me fallere non potest.

2. « Non sit tibi curae de magni nominis umbra,
non de multorum familiaritate
nec de privata hominum dilectione:
ista enim generant distractiones
et magnas in corde obscuritates.
Libenter loquerer tibi verbum meum et abscondita revelarem,
si adventum meum diligenter observares
et ostium cordis mihi aperires.
*Esto providus et vigila in orationibus* *(1P 4 : 7)*
et humilia te in omnibus ».

## Capitulum 25.
## In quibus firma pax cordis
## et verus profectus consistit *audio: 06.27*

1. « Fili, ego locutus sum:
*« Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis -*
*non quomodo mundus dat ego do vobis ».* *(Joh 14 : 27)*
Pacem omnes desiderant -
sed quae ad veram pacem pertinent non omnes curant.
Pax mea cum humilibus et mansuetis corde,
pax tua erit in multa patientia.
Si me audieris et vocem meam secutus fueris
poteris multa pace frui ».

2. - « Quid igitur faciam? »

- « In omni re attende tibi quid facias et quid dicas
et omnem intentionem tuam ad hoc dirige:
ut mihi soli placeas
et extra me nihil cupias vel quaeras.
Sed et de aliorum dictis vel factis nil temere judices
nec cum rebus tibi non commissis te implices:
et poterit fieri ut parum vel raro turberis.
Nunquam autem sentire aliquam turbationem
nec aliquam pati cordis vel corporis molestiam
non est praesentis temporis sed status aeternae quietis.
Non ergo aestimes te veram pacem invenisse si nullam sense-
ris gravitatem,
nec tunc totum esse bonum si neminem pateris adversarium,
nec hoc esse perfectum si cuncta fient secundum tuum affectum.
Neque tunc aliquid magni te reputes

aut specialiter dilectum existimes
si in magna fueris devotione atque dulcedine:
quia in istis non congnoscitur verus amator virtutis
nec in istis consistit profectus et perfectio hominis ».

3. - « In quo ergo, Domine? »

- « In offerendo te ex toto corde tuo voluntati divinae,
non quaerendo quae tua sunt nec in parvo nec in magno,
nec in tempore nec in aeternitate,
ita ut una aequali facie in gratiarum actione permaneas
inter prospera et contraria,
omnia aequa lance pensando.
Si fueris tam fortis et longanimis in spe
ut, subtracta interiori consolatione,
etiam ad ampliora sustinenda cor tuum praeparaveris
nec te justificaveris quasi haec tantaque pati non deberes,
sed me in omnibus dispositionibus justicaveris
et sanctum laudaveris -
tunc in vera et recta via pacis ambulas;
et spes indubitata erit
quod rursus in jubilo faciem meam sis visurus.
Quod si ad plenum tui ipsius contemptum perveneris,
scito quod tunc abundantia pacis perfrueris
secundum possibilitatem tui incolatus ».

## Capitulum 26.
## De eminentia liberae mentis
## quam supplex oratio magis meretur quam lectio *audio: 09.55*

1. « Domine, hoc opus est perfecti viri:
nunquam ab intentione caelestium animum relaxare
et inter multas curas quasi sine cura transire,
non more torpentis sed praerogativa quadam liberae mentis,
nulli creaturae inordinata affectione adhaerando.

2. « Obsecro te, piissime Deus meus,
praeserva me a curis hujus vitae, ne nimis implicer;
a multis necessitatibus corporis, ne voluptate capiar;
ab universis animae obstaculis, ne molestiis fractus dejiciar.
Non dico ab his rebus quas toto affectu ambit vanitas mundana,
sed ab his miseriis quae animam servi tui
communi maledicto mortalitatis pœnaliter gravant et retardant,
ne in libertatem spiritus quoties libuerit valeat introire.

3. « O, Deus meus, dulcedo ineffabilis!
Verte mihi in amaritudinem omnem consolationem carnalem
ab aeternorum amore me abstrahentem,
et ad se intuitu cujusdam boni delectabilis praesentis
male allicientem.

Non me vincat, Deus meus,
non vincat caro et sanguis!
Non me decipiat mundus et brevis gloria ejus,
non me supplantet diabolus et astutia illius!
Da mihi fortitudinem resistendi,
patientiam tolerandi, constantiam perseverandi.
Da pro omnibus mundi consolationibus suavissimam spiritus tui unctionem
et pro carnali amore tui nominis infunde amorem.

4. « Ecce cibus, potus, vestis
ac caetera utensilia ad corporis sustentaculum pertinentia,
ferventi spiritui sunt onerosa.
Tribue talibus fomentis temperate uti,
non desiderio nimio implicari.
Abjicere omnia non licet,
quia natura sustentanda est.
Requirere autem superflua et quae magis delectant
lex sancta prohibet:
nam alias caro adversus spiritum insolesceret.
Inter haec quaeso manus tua me regat et doceat
ne quid nimium fiat ».

## Capitulum 27.
## Quod privatus amor
## a summo bono maxime retardat *audio: 12.54*

1. « Fili, oportet te dare totum pro toto
et nihil tui ipsius esse.
Scito quod amor tui ipsius magis nocet tibi
quam aliqua res mundi.
Secundum amorem et affectum quem geris,
quaelibet res plus vel minus adhaeret.
Si fuerit amor tuus purus, simplex et bene ordinatus,
eris sine captivitate rerum.
Noli concupiscere quod non licet habere,
noli habere quod te potest impedire
et libertate interiori privare.
Mirum quod non ex toto fundo cordis te ipsum mihi committis
cum omnibus quae desiderare potes vel habere.

2. « Quare vano maerore consumeris?
Cur superfluis curis fatigaris?
Sta ad beneplacitum meum
et nullum patieris detrimentum.
Si quaeris hoc vel illud et volueris esse ibi vel ibi
propter tuum commodum et proprium beneplacitum magis habendum,
nunquam eris in quietudine nec liber a sollicitudine,
quia in omni re reperietur aliquis defectus

et in omni loco erit qui adversetur.

3. « Juvat igitur non quaelibet res adepta vel multiplicata exterius,
sed potius contempta et decisa ex corde radicitus:
quod non tantum de censu aeris et divitiarum intelligas,
sed de honoris etiam ambitu ac vanae laudationis desiderio,
quae omnia transeunt cum mundo.
Munit parum locus si deest spiritus fervoris,
nec diu stabit pax illa quaesita forinsecus si vacat a vero funda-
mento status cordis,
hoc est: nisi steteris in me,
permutare te potes sed non meliorare.
Nam occasione orta et accepta,
invenies quod fugisti - et amplius ».

### Oratio pro purgatione cordis
### et caelesti sapientia

Confirma me, Deus, per gratiam Sancti Spiritus.
Da virtutem corroborari in interiori homine
et cor meum ab omni inutili sollicitudine et angore evacuare,
nec variis desideriis trahi cujuscumque rei vilis aut praetiosae -
sed omnia inspicere sicut transeuntia
et me pariter cum illis transiturum,
quia *nihil permanens sub sole*,
ubi *omnia vanitas et afflictio spiritus*. *(Eccl 2 : 11 ; 1 : 14)*
O, quam sapiens qui ita considerat!

Da mihi, Domine, caelestem sapientiam,
ut discam te super omnia quaerere et invenire,
super omnia sapere et diligere
et caetera secundum ordinem sapientiae tuae,
prout sunt, intelligere.
Da prudenter declinare blandientem
et patienter ferre adversantem ;
quia haec magna sapientia:
non moveri omni vento verborum
nec aurem male blandienti praebere sirenae:
sic enim incepta pergitur via secure.

## Capitulum 28.
## Contra linguas obtrectatorum *audio: 16.58*

1. « Fili, non aegre feras si quidam de te male senserint
et dixerint quod non libenter audias.
Tu deteriora de te ipso sentire debes
et neminem inferiorem te credere.
Si ambulas ab intra
non multum ponderabis volantia verba.
Est non parva prudentia silere in tempore malo,
et introrsus ad me converti

nec humano judicio disturbari.

2. « Non sit pax tua in ore hominum:
sive enim bene sive male interpretati fuerint,
non es ideo alter homo.
Ubi est vera pax et vera gloria - nonne in me?
Et qui non appetit hominibus placere nec timet displicere
multa perfruetur pace.
Ex inordinato amore et vano timore
oritur omnis inquietudo cordis et distractio sensuum ».

## Capitulum 29.
## Qualiter, instante tribulatione,
## Deus invocandus est et benediciendus *audio: 18.11*

1. « Sit nomen tuum, Domine, benedictum in saecula,
qui voluisti hanc tentationem et tribulationem venire super me.
Non possum eam effugere,
sed necesse habeo ad te confugere
ut me adjuves et in bonum mihi convertas.
Domine, modo sum in tribulatione et non est cordi meo bene,
sed multum vexor a praesenti passione.
Et nunc, Pater dilecte, quid dicam?
Deprehensus sum inter angustias.
*Salvifica me ex hora hac!*
*Sed propterea veni in hanc horam*, *(Joh 11 : 27-28)*
ut tu clarificeris
cum fuero valde humiliatus et per te liberatus.
*Complaceat tibi, Domine, ut eruas me:* *(Ps 40 : 14)*
nam ego pauper quid agere possum
et quo ibo sine te?
Da patientiam, Domine, etiam hac vice.
Adjuva me, Deus meus,
et non timebo quantumcumque gravatus fuero.

2. « Et nunc inter haec quid dicam?
*Domine, fiat voluntas tua.* *(Mt 6 : 10)*
Ego bene merui tribulari et gravari.
Oportet utique ut sustineam - et utinam patienter -
donec transeat tempestas et melius fiat.
Potens est autem omnipotens manus tua
etiam hanc tentationem a me auferre et ejus impetum mitigare
ne penitus succumbam -
quemadmodum et prius saepius egisti mecum,
Deus meus, misericordia mea.
Et quanto mihi difficulius
tanto tibi facilior est *haec mutatio dexterae Excelsi* ». *(Ps 77 : 11)*

**Capitulum 30.**
**De divino petendo auxilio,**
**et confidentia recuperandae gratiae** ***audio: 20.14***

**1. « Fili, ego Dominus**
***confortans in die tribulationis*. *(Neh 1 : 7)***
**Venias ad me cum tibi non fuerit bene.**
**Hoc est quod maxime consolationem impedit caelestem:**
**quia tardius te convertis ad orationem.**
**Nam antequam me intente roges,**
**multa interim solatia quaeris et recreas te in externis.**
**Ideoque fit ut parum omnia prosint,**
**donec advertas quia ego sum qui eruo sperantes in me,**
**nec est extra me valens auxilium neque utile consilium**
**sed neque durabile remedium.**
**Sed jam, resumpto spiritu post tempestatem,**
**reconvalesce in lucem miserationum mearum:**
**quia prope sum, dicit Dominus,**
**ut restaurem universa non solum integre,**
**sed et abundanter ac cumulate.**

**2. « *Numquid mihi quidquam est difficile*, *(Jer 32 : 27)***
**aut similis ero dicenti et non facienti?**
**Ubi est fides tua?**
**Sta firmiter et perseveranter,**
**esto longanimis et vir fortis:**
**veniet tibi consolatio in tempore suo.**
**Exspecta me, exspecta: *veniam et curabo te*. *(Mt 8 : 7)***
**Tentatio est quae te vexat**
**et formido vana quae te exterret.**
**Quid importat sollicitudo de futuris contingentibus**
**nisi ut tristitiam super tristitiam habeas?**
***Sufficit diei malitia sua*. *(Mt 6 : 34)***
**Vanum est et inutile de futuris conturbari vel gratulari**
**quae forte nunquam evenient.**

**3. « Sed humanum est hujusmodi imaginationibus illudi,**
**et parvi adhuc animi signum tam leviter trahi a suggestione inimici.**
**Ipse enim non curat utrum veris an falsis illudat et decipiat,**
**utrum praesentium amore an futurorum formidine prosternat.**
***Non ergo turbetur cor tuum neque formidet*. *(Joh 14 : 27)***
***Crede in me (Joh 14 : 1)* et in misericordia mea habeto fiduciam.**
**Quando tu putas te elongatum a me -**
**saepe sum propinquior.**
**Quando tu aestimas paene totum perditum -**
**tunc saepe majus merendi instat lucrum.**
**Non est totum perditum quando res accidit in contrarium.**
**Non debes judicare secundum praesens sentire**
**nec sic gravitati alicui undecumque venienti**
**inhaerere et accipere,**

tamquam omnis spes sit ablata emergendi.

4. « Noli putare te relictum ex toto
quamvis ad tempus tibi miserim aliquam tribulationem
vel etiam optatam subtraxerim consolationem:
sic enim transitur ad regnum caelorum.
Et hoc sine dubio magis expedit tibi et caeteris servis meis
ut exercitemini adversis
quam si cuncta ad libitum haberetis.
Ego novi cogitationes absconditas:
quia multum expedit pro salute tua
ut interdum sine sapore relinquaris,
ne forte eleveris in bono successu
et tibi ipsi placere velis in eo quod non es.
Quod dedi auferre possum
et restituere cum mihi placuerit.

5. « Cum dedero - meum est,
cum subtraxero - tuum non tuli:
quia meum est *omne datum bonum*
*et omne donum perfectum*. *(Jc 1 : 17)*
Si tibi admisero gravitatem aut quamlibet contrarietatem,
ne indigneris neque concidat cor tuum:
ego cito sublevare possum
et omne onus in gaudium transmutare.
Verumtamen justus sum et recommendabilis multum
cum sic facio tecum.

6. « Si recte sapis et in veritate aspicis
nunquam debes propter adversa tam dejecte contristari:
sed magis gaudere et gratias agere,
imo hoc unicum reputare gaudium
quod *affligens te doloribus non parco tibi.* *(Jb 6 : 10)*
*« Sicut dilexit me Pater et ego vos diligo »* *(Joh 15 : 9)*
dixi dilectis discipulis meis,
quos utique non misi ad gaudia temporalia sed ad magna certamina,
non ad honores sed ad despectiones, non ad otium sed ad labores,
non ad requiem sed ad afferendum fructum multum in patientia.
Horum memento, fili me, verborum ».

## Capitulum 31.
## De neglectu omnis creaturae
## ut Creator possit inveniri *audio: 00.11*

1. « Domine, bene indigeo adhuc majori gratia
si debeo illuc pervenire ubi nemo me poterit nec ulla creatura
impedire.
Nam quamdiu res aliqua me retinet
non possum libere ad te volare.
Cupiebat libere volare qui dicebat:

***« Quis dabit mihi pennas sicut columbae***
***et volabo et requiescam? »*** ***(Ps 55 : 7)***
**Quid simplici oculo quietius**
**et quid liberius nil desiderante in terris?**
**Oportet igitur omnem supertransire creaturam**
**et se ipsum perfecte deserere,**
**ac in excessu mentis stare et videre te omnium Conditorem**
**cum creaturis nil simile habere.**
**Et nisi quis ab omnibus creaturis fuerit expeditus**
**non poterit libere intendere divinis.**
**Ideo enim pauci inveniuntur contemplativi,**
**quia pauci sciunt se a perituris et creaturis ad plenum sequestrari.**

**2. Ad hoc magna requiritur gratia**
**quae animam levet et supra semet ipsam rapiat.**
**Et nisi homo sit in spiritu elevatus**
**et ab omnibus creaturis liberatus ac Deo totus unitus,**
**quidquid scit, quidquid etiam habet, non est magni ponderis.**
**Diu parvus erit et infra jacebit qui aliquid magnum aeistimat**
**nisi solum unum, immensum, aeternum bonum.**
**Et quidquid Deus non est nihil est**
**et pro nihilo computari debet.**
**Est magna differencia: sapientia illuminati et devoti viri -**
**et scientia litterati atque studiosi clerici.**
**Multo nobilior est illa doctrina quae desursum ex divina influen-**
**tia manat**
**quam quae laboriose humano acquiritur ingenio.**

**3. Plures reperiuntur contemplationem desiderare -**
**sed quae ad eam requiruntur non student exercere.**
**Est magnum impedimentum quia in signis et sensibilibus re-**
**bus statur**
**et parum de perfecta mortificatione habetur.**
**Nescio quid est, quo spiritu ducimur et quid praetendimus,**
**qui *spirituales* dici videmur,**
**quod tantum laborem et ampliorem sollicitudinem**
**pro transitoriis et vilibus rebus agimus,**
**et de interioribus nostris**
**vix raro plene recollectis sensibus cogitamus.**

**4. Proh dolor!**
**Statim post modicam recollectionem foras erumpimus**
**nec opera nostra destricta examinatione trutinamus.**
**Ubi jacent affectus nostri non attendimus**
**et quam impura sint omnia non deploramus.**
***Omnis quippe caro corruperat viam suam*** ***(Gen 6 : 12)***
**et ideo sequebatur diluvium magnum.**
**Cum ergo interior affectus noster multum corruptus sit,**
**necesse est ut actio sequens**
**index carentiae interioris vigoris corrumpatur.**

**Ex puro corde procedit fructus bonae vitae.**

**5. Quantum quis fecerit quaeritur -**
**sed ex quanta virtute agit non tam studiose pensatur.**
**Si fuerit fortis, dives, pulcher, habilis**
**vel bonus scriptor, bonus cantor, bonus laborator**
**investigatur -**
**sed quam pauper sit spiritu, quam patiens et mitis,**
**quam devotus et internus,**
**a multis tacetur.**
**Natura exteriora hominis respicit -**
**gratia ad interiora se convertit.**
**Illa frequenter fallitur -**
**ista in Deo sperat ut non decipiatur.**

## Capitulum 32.
## De abnegatione sui
## et abdicatione omnis cupiditatis *audio: 04.37*

**1. « Fili, non potes perfectam possidere libertatem**
**nisi totaliter abneges temet ipsum.**
**Compediti sunt omnes proprietarii et sui ipsius amatores,**
**cupidi, curiosi, gyrovagi,**
**quaerentes semper mollia - non quae Jesu Christi,**
**sed hoc saepe fingentes et componentes quod non stabit.**
**Peribit enim totum quod non es ex Deo ortum.**
**Tene breve et consummatum verbum:**
**« Dimitte omnia, et invenies omnia.**
**Relinque cupidinem, et reperies requiem ».**
**Hoc mente pertracta et cum impleveris,**
**intelliges omnia ».**

**2. - « Domine, hoc non est opus unius diei**
**nec ludus parvulorum:**
**immo in hoc brevi includitur omnis perfectio religiosorum ».**

**3. - « Fili, non debes averti nec statim dejici**
**audita via perfectorum -**
**sed magis ad sublimiora provocari**
**et ad minus ad haec ex desiderio suspirare.**
**Utinam sic tecum esset**
**et ad hoc pervenisses ut tui ipsius amator non esses,**
**sed ad nutum meum pure stares**
**et ejus quem tibi praeposui patris!**
**Tunc mihi valde placeres**
**et tota vita tua in gaudio et pace transiret.**
**Adhuc multa habes ad relinquendum -**
**quae nisi mihi ex integro resignaveris**
**non acquires quod postulas.**
***Suadeo tibi emere a me aurum ignitum***

***ut locuples fias***, ***(Ap 3 : 18)***
**idest caelestem sapientiam omnia infima conculcantem.**
**Postpone terrenam sapientiam,**
**omnem humanam et propriam complacentiam.**

**4. « Dixi: Viliora tibi emenda**
**pro praetiosis et altis rebus humanis.**
**Nam valde vilis et parva ac paene oblivioni tradita**
**videtur vera caelestis sapientia,**
**non sapiens alta de se nec magnificari quaerens in terra,**
**quam multi ore tenus praedicant -**
**sed vita longe dissentiunt:**
**ipsa tamen est praetiosa *margarita***
**a multis *abscondita* ».** ***(Mt 13 : 46)***

## Capitulum 33.
## De instabilitate cordis,
## et de intentione finali ad Deum habenda ***audio: 07.23***

**1. « Fili, noli credere affectui tuo qui nunc est:**
**cito mutabitur in aliud.**
**Quamdiu vixeris mutabilitati subjectus es, etiam nolens:**
**ut modo laetus, modo tristis,**
**modo pacatus, modo turbatus;**
**nunc devotus, nunc indevotus,**
**nunc studiosus, nunc acidiosus,**
**nunc gravis, nunc levis inveniaris.**
**Sed stat super haec mutabilia sapiens et bene doctus in spiritu,**
**non attendens quid in se sentiat**
**vel qua parte flet ventus instabilitatis,**
**sed ut tota intentio mentis ejus**
**ad debitum et ad optatum proficiat finem:**
**nam sic poterit unus et idem inconcussusque permanere,**
**simplici intentionis oculo**
**et tot varios eventus ad me impraetermisse directo.**

**2. « Quanto autem purior fuerit intentionis oculus**
**tanto constantius inter diversas itur procellas.**
**Sed in multis caligat oculus purae intentionis:**
**respicitur enim cito in aliquod delectabile quod occurrit;**
**nam et raro totus liber quis invenitur**
**a naevo propriae exquisitionis.**
**Sic Judaei olim venerant in Bethaniam ad Martham et Mariam,**
***non propter Jesum tantum sed ut Lazarum viderent*.** ***(Joh 12 : 9)***
**Mundandus est ergo intentionis oculus**
**ut sit simplex et rectus,**
**atque ultra omnia varia media ad me dirigendus ».**

**Capitulum 34.**
**Quod amanti sapit Deus**
**super omnia et in omnibus** ***audio: 09.27***

**1. « Ecce Deus meus et omnia!**
**Quid volo amplius, et quid felicius desiderare possum?**
**O, sapidum et dulce verbum,**
**sed *amanti* Verbum,**
***non mundum nec ea quae in mundo sunt!*** ***(1 Joh 2 : 15)***
**Deus meus et omnia!**
**Intelligenti satis dictum est,**
**et saepe repetere jucundum est amanti.**
**Te siquidem praesente, jucunda sunt omnia -**
**te autem absente, fastidiunt cuncta.**
**Tu facis cor tranquillum**
**et pacem magnam laetitiamque festivam.**
**Tu facis bene sentire de omnibus et in omnibus te laudare,**
**nec potest aliquid sine te diu placere -**
**sed si debet gratum esse et bene sapere,**
**oportet gratiam tuam adesse**
**et condimento tuae sapientiae condiri.**

**2. « Cui tu sapis**
**quid ei recte non sapiet?**
**Et cui tu non sapis**
**quid ei ad jucunditatem esse poterit?**
**Sed deficiunt in sapientia tua**
**mundi sapientes et qui carnem sapiunt:**
**quia ibi plurima vanitas et hic mors invenitur.**
**Qui autem te per contemptum mundanorum et carnis morti-**
**ficationem sequuntur**
**vere sapientes esse cognoscuntur,**
**quia de vanitate ad veritatem,**
**de carne ad spiritum transferuntur.**
**Istis sapit Deus;**
**et quidquid boni invenitur in creaturis**
**totum ad laudem referunt sui Conditoris.**
**Dissimilis tamen - et multum dissimilis -**
**sapor Creatoris et creaturae, aeternitatis et temporis,**
**lucis increatae et lucis illuminatae.**

**3. « O, lux perpetua, cuncta creata transcendens lumina,**
**fulgura coruscationem de sublimi**
**penetrantem omnia cordis mei intima!**
**Purifica, laetifica, clarifica**
**et vivifica spiritum meum cum suis potentiis**
**ad inhaerendum tibi jubilosis excessibus.**
**O, quando veniet haec beata et desiderabilis hora**
**ut tua me saties praesentia**
**et sis mihi *omnia in omnibus*?** ***(Col 3 : 11)***
**Quamdiu hoc datum non fuerit,**

nec plenum gaudium erit.
Adhuc, proh dolor! vivit in me vetus homo!
non est totus crucifixus, non est perfecte mortuus,
adhuc concupiscit fortiter contra spiritum,
bella movet intestina,
nec regnum animae patitur esse quietum.

4. « Sed tu *qui dominaris potestati maris*
*et motum fluctuum ejus mitigas*, *(Ps 89 : 10)*
exsurge, adjuva me!
*Dissipa gentes quae bella volunt*, *(Ps 58 : 31)*
contere eas in virtute tua.
Ostende, quaeso, magnalia tua
et glorificetur dextera tua:
quia non est spes alia nec refugium mihi
nisi in te, Domine Deus meus ».

## Capitulum 35.
## Quod non est securitas a tentatione in hac vita

*audio: 13.04*

1. « Fili, nunquam securus es in hac vita -
sed quoad vixeris, semper arma spiritualia tibi sunt necessaria.
Inter hostes versaris
et a dextris et a sinistris impugnaris.
Si ergo non uteris undique scuto patientiae
non eris diu sine vulnere.
Insuper si non ponis cor tuum fixe in me
cum vera voluntate cuncta patiendi propter me,
non poteris ardorem istum sustinere
nec ad palmam pertingere beatorum.
Oportet te ergo viriliter omnia pertransire
et potenti manu uti adversus objecta.
Nam *vincenti datur manna* - *(Ap 2 : 17)*
et torpenti relinquitur multa miseria.

2. « Si quaeris in hac vita requiem,
quomodo tunc pervenies ad aeternam requiem?
Non ponas te ad multam requiem
sed ad magnam patientiam.
Quaere veram pacem non in terris sed in caelis,
non in hominibus nec in caeteris creaturis
sed in Deo solo.
Pro amore Dei debes omnia libenter subire:
labores scilicet et dolores, tentationes, vexationes,
anxietates, necessitates, infirmitates,
injurias, oblocutiones, reprehensiones, humiliationes,
confusiones, correctiones et despectiones.
Haec juvant ad virtutem, haec probant Christi tironem,
haec fabricant coelestam coronam.

Ego reddam mercedem aeternam pro brevi labore
et infinitam gloriam pro transitoria confusione.

3. « Putas quod semper habebis, pro tua voluntate,
consolationes spirituales?
Sancti mei non semper habuerunt tales,
sed multas gravitates et tentationes varias
magnasque desolationes -
sed patienter sustinuerunt se in omnibus
et magis confisi sunt Deo quam sibi:
scientes quia *non sunt condignae passiones hujus temporis*
*ad futuram gloriam* promerendam. *(Ro 8 : 18)*
Vis tu statim habere
quod multi post multas lacrymas et magnos labores
vix obtinuerunt?
*Exspecta Dominum, viriliter age et confortare.* *(Ps 27 : 14)*
Noli diffidere, noli discedere,
sed corpus et animam expone constanter pro gloria Dei.
Ego reddam plenissime,
ego tecum ero in omni tribulatione ».

## Capitulum 36.
## Contra vana hominum judicia *audio: 16.21*

1. « Fili, jacta cor tuum firmiter in Domino
- et humanum ne metuas judicium -
ubi te conscientia pium reddit et insontem.
Bonum est et beatum taliter pati,
nec hoc erit grave humili cordi
et Deo magis quam sibi ipsi confidenti.
Multi multa loquuntur -
et ideo parva fides est adhibenda.
Sed et omnibus satis esse non est possibile.
Et si Paulus omnibus studuit in Domino placere
et *omnibus omnia factus est* - *(1Co 9 : 22)*
tamen etiam *pro minimo duxit*
*quod ab humano die judicatus fuerit*. *(1Co 4 : 3)*
Egit satis pro aliorum aedificatione et salute
quantum in se erat et poterat -
sed ne ab aliis aliquando judicaretur vel non despiceretur
cohibere non potuit.
Ideo totum Deo commisit, qui totum noverat,
et patientia ac humilitate contra ora loquentium iniqua
ac etiam vana ac mendosa cogitantium
atque pro libitu suo quaeque jactantium
se defendit.
Respondit tamen interdum,
ne infirmis ex sua taciturnitate generaretur scandalum.

2. « *Quis tu, ut timeas a mortali homine?* *(Es 51 : 12)*

Hodie est - et cras non comparet.
Deum time:
et hominum terrores non expavesces.
Quid potest aliquis in te verbis aut injuriis ?
Sibi potius nocet quam tibi -
nec poterit judicium Dei effugere, quicumque est ille.
Tu habe Deum prae oculis
et noli contendere verbis querulosis.
Quod si ad praesens tu videris succumbi
et confusionem pati quam non meruisti,
ne indigneris ex hoc
neque per impatientiam minuas coronam tuam.
Sed ad me potius respice in caelum,
qui potens sum eripere ab omni confusione et injuria
et *unicuique reddere secundum opera sua* ». *(Ro 11 : 6)*

## Capitulum 37.
## De pura et integra resignatione sui
## ad obtinendam cordis libertatem *audio: 19.02*

1. « Fili, relinque te,
et invenies me.
Sta sine electione et omni proprietate,
et lucraberis semper.
Nam et adjicietur tibi amplior gratia
statim ut te resignaveris nec resumpseris ».

2. - « Domine, quoties me resignabo,
et in quibus me relinquam? »

3. - « Semper, et omni hora: sicut in parvo, sic et in magno.
Nihil excipio, sed in omnibus te nudatum inveniri volo.
Alioquin quomodo poteris esse meus et ego tuus,
nisi fueris ab omni propria voluntate intus et foris spoliatus?
Quanto celerius hoc agis
tanto melius habebis,
et quanto plenius et sincerius
tanto mihi plus placebis et amplius lucraberis.

4. « Quidam se resignant - sed cum aliqua exceptione,
non enim plene in Deo confidunt:
ideo sibi providere satagunt.
Quidam etiam primo totum offerunt -
sed postea tentatione pulsati ad propria redeunt:
ideo minime in virtute proficiunt.
Hi ad veram puri cordis libertatem
et jucundae familiaritatis meae gratiam non pertingent
nisi integra resignatione et quotidiana sui immolatione prius facta,
sine qua non stat nec stabit unio fruitiva.

5. « Dixi tibi saepissime et nunc iterum dico:
Relinque te, resigna te,
et frueris magna interna pace.
Da totum pro toto,
nil exquire, nil repete.
Sta pure et inhaesitanter in me,
et habebis me.
Eris liber in corde et tenebrae non conculcabunt te.
Ad hoc conare, hoc ora, hoc desidera,
ut ab omni proprietate possis exspoliari
et nudus nudum Jesum sequi,
tibi mori - et mihi aeternaliter vivere.
Tunc deficient omnes vanae phantasiae,
conturbationes iniquae et curae superfluae.
Tunc etiam recedet immoderatus timor
et inordinatus amor morietur ».

## Capitulum 38.
## De bono regimine in externis
## et recursu ad Deum in periculis *audio: 21.41*

1. « Fili, ad istud diligenter tendere debes
ut in omni loco et actione seu occupatione externa
sis intus liber et tui ipsius potens,
et sint omnia sub te et tu non sub eis,
ut sis dominus actionum tuarum et rector,
non servus, nec emptitius -
sed magis exemptus verusque hebraeus
in sortem ac libertatem transiens filiorum Dei
qui stant super praesentia et speculantur aeterna,
qui transitoria sinistro intuentur oculo et dextro caelestia,
quos temporalia non trahunt ad inhaerendum
sed trahunt ipsi magis ea ad bene serviendum,
prout ordinata sunt a Deo et instituta a summo Opifice,
qui nil inordinatum in sua reliquit creatura.

2. « Si etiam in omni eventu stas non in apparentia externa
nec oculo carnali lustras visa vel audita,
sed mox in qualibet causa intras cum Moyse
in tabernaculum ad consulendum Dominum,
audies nonnunquam divinum responsum
et redies instructus de multis praesentibus et futuris.
Semper enim Moyses recursum habuit ad tabernaculum
pro dubiis et quaestionibus solvendis,
fugitque ad orationis adjutorium
pro periculis et improbitatibus hominum sublevandis.
Sic et tu confugere debes in cordis tui secretarium
divinum intentius implorando suffragium.
Propterea namque Josue et filii Israel a Gabaonitis leguntur de-

**cepti**
**quia *os Domini prius non interrogaverunt*** ***(Jos 9 : 14)***
**sed nimium creduli dulcibus sermonibus**
**falsa pietate delusi sunt ».**

## Capitulum 39.
## Quod homo non sit importunus in negociis *audio: 00.12*

**1. « Fili, committe mihi semper causam tuam:**
**ego bene disponam in tempore suo.**
**Expecta ordinationem meam,**
**et senties exinde profectum ».**

**2. - « Domine, satis libenter tibi omnes res committo,**
**quia parum potest cogitatio mea proficere.**
**Utinam non multum adhaererem futuris eventibus**
**sed ad beneplacitum tuum incunctanter me offerrem! »**

**3. - « Fili mi, saepe homo rem aliquam vehementer agitat**
**quam desiderat -**
**sed cum ad eam pervenerit aliter sentire incipit,**
**quia affectiones circa idem non sunt durabiles**
**sed magis de uno ad in aliud impellunt.**
**Non est ergo minimum etiam in minimis se ipsum relinquere.**

**4. - « Verus profectus hominis est abnegatio sui ipsius,**
**et homo abnegatus valde liber est et securus.**
**Sed antiquus hostis, omnibus bonis adversans,**
**a tentatione non cessat;**
**sed die noctuque graves molitur insidias,**
**si forte in laqueum deceptionis possit praecipitare incautum.**
***« Vigilate et orate »*, dicit Dominus,**
***« Ut non intretis in tentationem ».*** ***(Mt 26 : 41)***

## Capitulum 40
## Quod homo nihil boni ex se habet
## et de nullo gloriari potest *audio: 01.48*

**1. « Domine, *quid est homo quod memores ejus,***
***aut filius hominis quia visitas eum?*** ***(Ps 8 : 5)***
**Quid promeruit homo ut dares illi gratiam tuam?**
**Domine, quid possum conqueri si me deseris**
**aut quid juste obtendere possum si quod peto non feceris?**
**Certe hoc in veritate cogitare possum et dicere:**
**Domine, nihil sum, nihil possum,**
**nihil boni ex me habeo,**
**sed in omnibus deficio et ad nihil semper tendo.**
**Et nisi a te fuero adjutus et interius informatus**
**totus efficior tepidus et dissolutus.**

**2. « Tu autem, Domine, *semper idem ipse es*** ***(Ps 102 : 27)***
**et permanes in aeternum:**
**semper bonus, justus et sanctus,**
**bene, juste ac sancte agens omnia**
**et disponens in sapientia.**
**Sed ego, qui ad defectum sum magis pronus**
**quam ad profectum,**
**non sum semper in uno statu perdurans,**
**quia *septem tempora mutantur super me*.** ***(Dan 4 : 13, 20, 22)***
**Verumtamen cito melius fit cum tibi placuerit**
**et manum porrexeris adjutricem:**
**quia tu solus sine humano suffragio poteris auxiliari**
**et in tantum confirmare,**
**ut vultus meus amplius in diversa non mutetur,**
**sed in te uno cor meum convertatur et quiescat.**

**3. « Unde, si bene scirem omnem humanam consolationem abjicere,**
**sive propter devotionem adipiscendam**
**sive propter necessitatem qua compellor te quaerere**
**quia non est homo qui me consoletur -**
**tunc possem merito de gratia tua sperare**
**et de dono novae consolationis exultare.**

**4. « Gratias tibi, unde totum venit,**
**quotiescumque mihi bene succedit.**
**Ego autem vanitas et nihilum ante te,**
**inconstans homo et infirmus.**
**Unde ergo possum gloriari, aut cur appeto reputari?**
**Numquid de nihilo? et hoc vanissimum est!**
**Vere inanis gloria mala pestis, vanitas maxima:**
**quia a vera trahit gloria et caelesti spoliat gratia.**
**Dum enim homo complacet sibi displicet tibi,**
**dum inhiat laudibus humanis privatur veris virtutibus.**

**5. « Est autem vera gloria et exultatio sancta:**
**gloriari in te et non in se,**
**gaudere in nomine tuo, non in propria virtute**
**nec in aliqua creatura delectari nisi propter te.**
**Laudetur nomen tuum - non meum;**
**magnificetur opus tuum - non meum;**
**benedicatur nomen sanctum tuum:**
**nihil mihi autem attribuatur de laudibus hominum.**
***Tu gloria mea, tu exaltatio cordis mei.*** ***(Ps 3 : 4, 118 : 111)***
**In te gloriabor et exultabo tota die -**
***pro me autem nihil nisi in infirmatibus meis.*** ***(2Co 12 : 5)***

**6. « *Quaerant Judaei gloriam quae ab invicem est* -**
**ego hanc requiram *quae a solo Deo est*.** ***(Joh 5 : 44)***

Omnis quidem gloria humana, omnis honor temporalis,
omnis altitudo mundana
aeternae gloriae tuae comparata vanitas est et stultitia.
O, veritas mea et misericordia mea,
Deus meus, Trinitas beata,
tibi soli laus, honor, virtus et gloria
per infinita saeculorum saecula!

## Capitulum 41.
## De contemptu omnis temporalis honoris *audio: 06.16*

1. « Fili, noli tibi attrahere si videas alios honorari et elevari
te autem despici et humiliari.
Erige cor tuum ad me in caelum
et non contristabit te contemptus hominum in terris ».

2. - « Domine, in caecitate sumus
et vanitate cito seducimur.
Si recte me inspicio,
nunquam mihi facta est injuria ab aliqua creatura:
unde nec juste habeo conqueri adversum te.
Quia autem frequenter et graviter peccavi tibi,
merito armatur contra me omnis creatura.
Mihi igitur juste debetur confusio et contemptus -
tibi autem laus, honor et gloria.
Et nisi me ad hoc me praeparavero
quod velim libenter ab omni creatura despici et relinqui
atque penitus nihil videri,
non possum interius pacificari et stabiliri
nec spiritualiter illuminari neque plene tibi uniri ».

## Capitulum 42.
## Quod pax non est ponenda in hominibus *audio: 07.41*

1. « Fili, si ponis pacem tuam cum aliqua persona
propter tuum sentire et convivere,
instabilis eris et implacatus.
Sed si recursum habes ad semper viventem et manentem veri-
tatem,
non contristabit amicus recedens aut moriens.
In me debet amici dilectio stare,
et propter me diligendus est quisquis tibi bonus visus est
et multum carus in hac vita.
Sine me non valet nec durabit amicitia
nec est vera et munda dilectio quam ego non copulo.
Ita mortuus debes esse talibus affectionibus dilectorum homi-
num,
ut quantum ad te pertinet
sine omni humano optes esse consortio.
Tanto homo Deo magis appropinquat

**quanto ab omni solatio terreno longius recedit.**
**Tanto etiam altius ad Deum ascendit**
**quanto profundius in se descendit**
**et plus sibi ipsi vilescit.**

**2. « Qui autem sibi aliquid boni attribuit**
**gratiam Dei in se venire impedit:**
**quia gratia Spiritus Sancti cor humile semper quaerit.**
**Si scires te perfecte annihilare**
**atque ab omni creato amore evacuare,**
**tunc deberem in te cum magna gratia emanare.**
**Quando tu respicis ad creaturas**
**subtrahitur tibi aspectus Creatoris.**
**Disce te in omnibus propter Creatorem vincere:**
**tunc ad divinam valebis cognitionem pertingere.**
**Quantumcumque modicum sit,**
**si quid inordinate diligitur et respicitur,**
**retardat a summo bono, et vitiat ».**

## Capitulum 43.
## Contra vanam et saecularem scientiam *audio: 09.51*

**1. « Fili, non te moveant pulchra et subtilia hominum dicta:**
***non enim est regnum Dei in sermone***
***sed in virtute.*** *(1Co 4 : 20)*
**Attende verba mea quae corda accendunt et mentes illuminant,**
**inducunt compunctionem et variam ingerunt consolationem.**
**Nunquam ad hoc legas verbum**
**ut doctior aut sapientior possis videri.**
**Stude mortificationem vitiorum:**
**quia hoc amplius tibi proderit**
**quam notitia multarum difficilium quaestionum.**

**2. « Cum multa legeris et cognoveris,**
**ad unum semper oportet redire principium:**
***Ego sum qui doceo hominem scientiam*** *(Ps 94 : 10)*
***et clariorem intelligentiam parvulis tribuo*** *(Ps 119 : 130)*
**quam ab homine possit doceri.**
**Cui ego loquor cito sapiens erit**
**et multum in spiritu proficiet.**
**Vae eis qui multa curiosa ab hominibus inquirunt**
**et de via mihi serviendi parum curant!**
**Veniet tempus quando apparebit Magister magistrorum**
**Christus, Dominus angelorum,**
**cunctorum auditurus lectiones**
**- hoc est singulorum examinaturus conscientias:**
***et tunc scrutabitur Hierusalem in lucernis,*** *(Soph 1 :12)*
***et manifesta erunt abscondita tenebrarum*** *(1Co 4 : 5)*
**tacebuntque argumenta linguarum.**

3. « Ego sum qui humilem in puncto elevo mentem
ut plures aeternae veritatis capiat rationes
quam si quis decem annis studuisset in scholis.
Ego doceo sine strepitu verborum, sine confusione opinionum,
sine fastu honoris, sine pugnatione argumentorum.
Ego sum qui doceo terrena despicere, praesentia fastidire,
aeterna quaerere, aeterna sapere,
honores fugere, scandala sufferre,
omnem spem in me ponere,
extra me nihil cupere et super omnia me ardenter amare.

4. « Nam quidam amando me intime didicit divina
et loquebatur mirabilia.
Plus profecit in relinquendo omnia quam in studendo subtilia.
Sed aliis loquor communia, aliis specialia,
aliquibus in signis et figuris dulciter appareo,
quibusdam vero in multo lumine revelo mysteria.
Una vox librorum - sed non omnes aeque informat,
quia intus sum doctor veritatis, scrutator cordis,
cogitationum intellector, actionum promotor,
distribuens singulis sicut dignum judicavero ».

## Capitulum 44.
## De non attrahendo sibi res exteriores *audio: 13.10*

1. « Fili, in multis oportet te esse inscium
et aestimare te tamquam mortuum super terram
et cui totus mundus crucifixus sit.
Multa etiam oportet surda aure pertransire
et quae tuae pacis sunt magis cogitare.
Utilius est oculos a rebus displicentibus avertere
et unicuique suum sentire relinquere
quam contentiosis sermonibus deservire.
Si bene steteris cum Deo et ejus judicium aspexeris,
facilius te victum portabis.

2. - O, Domine, quousque venimus?
Ecce damnum defletur temporale,
pro modico quaestu laboratur et curritur -
et spirituale detrimentum in oblivionem transit
et vix sero reditur.
Quod parum vel nihil prodest attenditur -
et quod summe necessarium est negligenter praeteritur,
quia totus homo ad externa defluit
et nisi cito resipiscat
libens in exterioribus jacet ».

**Capitulum 45.**
**Quod omnibus non est credendum**
**et de facili lapsu verborum** ***audio: 14.33***

**1. « *Da mihi auxilium, Domine, de tribulatione,***
***quia vana salus hominis*. *(Ps 60 : 13)***
**Quam saepe ibi non inveni fidem ubi me habere putavi!**
**Quoties etiam ibi reperi ubi minus praesumsi!**
**Vana ergo spes in hominibus -**
**salus autem justorum in te, Deus.**
**Benedictus sis, Domine Deus meus,**
**in omnibus quae accidunt nobis.**
**Infirmi sumus et instabiles,**
**cito fallimur et permutamur.**

**2. « Quis est homo qui ita caute et circumspecte**
**in omnibus se custodire valet**
**ut aliquando in aliquam deceptionem vel perplexitatem**
**non veniat?**
**Sed qui in te, Domine, confidit ac simplici ex corde quaerit**
**non tam facile labitur.**
**Et si inciderit aliquam tribulationem,**
**quomodocumque fuerit etiam implicatus,**
**citius per te eruetur aut a te consolabitur,**
**quia tu non deseres in te sperantem usque in finem.**
**Rarus fidus amicus**
**in cunctis amici perseverans pressuris.**
**Tu Domine, tu solus es fidelissimus in omnibus,**
**et praeter te non est alter talis.**

**3. « O, quam bene sapuit sancta illa anima, quae dixit:**
**« Mens mea solidata est et in Christo fundata ».** ***(St Agatha)***
**Si ita mecum foret,**
**non tam facile timor humanus me sollicitaret**
**nec verborum jacula moverent.**
**Quis omnia praevidere,**
**quis praecavere futura mala sufficit?**
**Si praevisa saepe etiam laedunt,**
**quid improvisa nisi graviter feriunt?**
**Sed quare mihi misero non melius providi?**
**Cur etiam tam facile aliis credidi?**
**Sed homines sumus**
**nec aliud quam fragiles homines sumus -**
**etiamsi angeli a multis aestimamur et dicimur.**
**Cui credam, Domine? Cui nisi tibi?**
**Veritas es quae non fallis nec falli potes.**
**Et rursum: *Omnis homo mendax*,** ***(Ps 116 : 11)***
**infirmus, instabilis et labilis,**
**maxime in verbis:**
**ita ut statim vix credi debeat**
**quod rectum in facie sonare videtur.**

**4. « Quam prudenter praemonuisti *cavendum ab hominibus,***
***(Mt 10 : 36)***
***et quia inimici hominis domestici ejus,*** ***(Mt 10 : 36)***
***nec credendum si quis dixerit:***
***« Ecce hic! », aut « Ecce illic! »*** ***(Mt 24 : 23)***
**Doctus sum damno meo,**
**et utinam ad cautelam majorem et non ad insipientiam mihi!**
**« Cautus esto », ait quidam, « Cautus esto,**
**serva apud te quod dico » -**
**et dum ego sileo et absconditum credo,**
**nec ille silere potest quod silendum petiit**
**sed statim prodit me et se, et abit!**
**Ab hujusmodi fabulis et incautis hominibus protege me, Domine,**
**ne in manus eorum incidam**
**nec unquam talia committam.**
**Verbum verum et stabile da in os meum**
**et linguam callidam longe fac a me.**
**Quod pati nolo,**
**omnimode cavere debeo.**

**5. « O, quam bonum et pacificum de aliis silere**
**nec indifferenter omnia credere,**
**nec de facili ulterius effari,**
**paucis seipsum revelare,**
**te semper inspectorem cordis quaerere,**
**nec omni vento verborum circumferri,**
**sed omnia intima et externa**
**secundum placitum tuae voluntatis optare perfici!**
**Quam tutum pro conservatione caelestis gratiae**
**humanam fugere apparentiam,**
**nec appetere quae foris admirationem videntur praebere -**
**sed ea tota sedulitate sectari**
**quae vitae emendationem dant et fervorem!**
**Quam multis nocuit virtus scita ac praepropere laudata!**
**Quam sane profuit gratia silentio servata in hac fragili vita,**
**quae tota tentatio fertur et militia! »**

## Capitulum 46.
## De confidentia in Deo habenda
## quando insurgunt verborum jacula *audio: 19.37*

**1. « Fili, sta firmiter et spera in me.**
**Quid enim sunt verba, nisi verba?**
**Per aerem volant**
**sed lapidem non laedunt.**
**Si reus es,**
**cogita quod libenter emendare te velis.**
**Si nihil tibi conscius es,**
**pensa quod velis libenter pro Deo hoc sustinere.**

**Parum satis est ut vel verba interdum sustineas -**
**qui necdum fortia verbera tolerare vales.**
**Et quare tam parva tibi ad cor transeunt,**
**nisi quia adhuc carnalis es**
**et homines magis quam oportet attendis?**
**Nam quia despici metuis,**
**reprehendi pro excessibus non vis**
**et excusationum umbracula quaeris.**

**2. « Sed inspice te melius,**
**et agnosces quia vivit adhuc in te mundus**
**et vanus amor placendi hominibus.**
**Cum enim bassari refugis et confundi pro defectibus,**
**constat utique quod nec verus humilis sis**
**nec vere *mundo mortuus* nec *mundus tibi crucifixus*.** ***(Ga 6 : 14)***
**Sed audi verbum meum:**
**et non curabis decem millia verba hominum.**
**Ecce, si cuncta contra te dicerentur**
**quae fingi malitiosissime possent,**
**quid tibi noceret si omnino transire permitteres**
**nec plus quam festucam perpenderes?**
**Numquid vel unum capillum tibi extrahere possent?**

**3. « Sed qui cor intus non habet nec Deum prae oculis**
**faciliter verbo movetur vituperationis -**
**qui autem in me confidit nec proprio judicio stare appetit**
**absque humano terrore erit.**
**Ego enim sum judex et cognitor omnium secretorum.**
**Ego scio qualiter res acta est,**
**ego injuriantem novi et sustinentem.**
**A me exiit verbum istud,**
**me permittente hoc accidit**
***ut revelentur ex multis cordibus cogitationes*.** ***(Lc 2 : 35)***
**Ego reum et innocentem judicabo -**
**sed occulto judicio utrumque ante probare volui.**

**4. « Testimonium hominum saepe fallit -**
**meum judicium verum est,**
**stabit et non subvertetur.**
**Latet plerumque et paucis ad singula patet -**
**numquam tamen errat nec errare potest,**
**etiamsi oculis insipientium non rectum videatur.**
**Ad me ergo recurrendum est in omni judicio**
**nec proprio innitendum arbitrio:**
***justus enim non conturbabitur,***
***quidquid a Deo ei acciderit*.** ***(Pr 12 : 21)***
**Etiamsi injuste aliquid contra eum prolatum fuerit**
**non multum curabit,**
**sed nec vane exultabit**
**si per alios rationabiliter excusetur.**

**Pensat namque quia *ego sum scrutans corda et renes,*** *(Ap 2 : 23)*
**qui non judico secundum faciem et humanam apparentiam.**
**Nam saepe in oculis meis reperitur culpabile**
**quod hominum judicio creditur laudabile.**

**5. « Domine Deus, judex juste, fortis et patiens,**
**qui hominum nosti fragilitatem et pravitatem,**
**esto robur meum et tota fiducia mea:**
**non enim mihi sufficit conscientia mea.**
**Tu nosti quod ego non novi:**
**et ideo in omni reprehensione humiliare me debui**
**et mansuete sustinere.**
**Ignosce quoque mihi propitius quoties sic non egi,**
**et dona iterum gratiam amplioris sufferentiae.**
**Melior est enim mihi tua copiosa misericordia ad consecutionem indulgentiae,**
**quam mea opinata justitia pro defensione latentis conscientiae.**
***Et si mihi nihil conscius sum***
***tamen in hoc justificare me non possum*:** *(1Co 4 : 4)*
**quia, remota misericordia tua,**
***non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens ».*** *(Ps 143 : 2)*

## Capitulum 47.
## Quod omnia gravia
## pro aeterna vita sunt toleranda *audio: 24.42*

**1. « Fili, non te frangant labores quos assumpsisti propter me**
**nec tribulationes te dejiciant usquequaque -**
**sed mea promissio in omni eventu te roboret et consoletur.**
**Ego sufficiens sum ad reddendum**
**supra omnem modum et mensuram.**
**Non diu hic laborabis nec semper gravaberis doloribus.**
**Expecta paulisper**
**et videbis celerem finem malorum.**
**Veniet una hora quando cessabit omnis labor et tumultus.**
**Modicum est et breve omne quod transit cum tempore.**

**2. « Age quod agis,**
**fideliter labora in vinea mea:**
***ego ero merces tua*.** *(Gen 15 : 1)*
**Scribe, lege, canta,**
**geme, tace, ora,**
**sustine viriliter contraria:**
**digna est his omnibus et majoribus praeliis vita aeterna.**
**Veniet pax in die una quae nota est Domino**
**et erit non dies neque nox hujus scilicet temporis -**
**sed lux perpetua, claritas infinita,**
**pax firma et requies secura.**
**Non dices tunc:**
***« Quis me liberabit de corpore mortis hujus? »,*** *(Ro 7 : 24)*

neque clamabis: *« Heu mihi,*
*quia incolatus meus prolongatus est! »*, *(Ps 120 : 5)*
quoniam *praecipitabitur mors* *(Es 25 : 8)* et salus erit indefectiva;
anxietas nulla, jucunditas beata,
societas dulcis et decora.

3. « O, si vidisses sanctorum in caelo coronas perpetuas,
quanta quoque nunc exultant gloria
qui huic mundo olim contemptibiles
et quasi vita ipsa indigni putabantur!
Profecto te statim humiliares usque ad terram
et affectares potius omnibus subesse quam uni praeesse,
nec hujus vitae laetos dies concupisceres -
sed magis pro Deo tribulari gauderes
et pro nihilo inter homines computari maximum lucrum duceres.

4. « O, si tibi haec saperent et profunde ad cor transirent,
quomodo auderes vel semel conqueri?
Nonne pro vita aeterna cuncta laboriosa sunt toleranda?
Non est parvum quid
perdere aut lucrari regnum Dei!
Leva igitur faciem tuam in caelo:
ecce ego, et omnes sancti mei mecum
qui in hoc saeculo magnum habuere certamen,
modo gaudent, modo consolantur,
modo securi sunt, modo requiescunt,
et sine fine mecum in regno Patris mei permanebunt ».

## Capitulum 48.
## De die aeternitatis
## et hujus vitae angustiis *audio: 00.13*

1. O, supernae civitatis mansio beatissima!
O, dies aeternitatis clarissima,
quam nox non obscurat
sed summa veritas semper irradiat!
Dies semper laeta, semper secura
et nunquam statum mutans in contraria.
O, utinam dies illa illuxisset
et cuncta haec temporalia finem accepissent!
Lucet quidem sanctis perpetua claritate splendida -
sed non nisi a longe et per speculum peregrinantibus in terra.

2. Norunt caeli cives quam gaudiosa sit illa -
gemunt exules filii Evae,
quod amara et taediosa sit ista.
*Dies hujus temporis parvi et mali,* *(Gen 47 : 9)*
pleni doloribus et angustiis:
ubi homo multis peccatis inquinatur, multis passionibus irretitur,
multis timoribus stringitur, multis curis distenditur,

multis curiositatibus distrahitur, multis vanitatibus implicatur,
multis erroribus circumfunditur, multis laboribus atteritur,
tentationibus gravatur, deliciis enervatur, egestate cruciatur.

3. O, quando erit finis horum malorum?
Quando liberabor a misera servitute vitiorum?
Quando memorabor, Domine, tui solius?
Quando ad plenum laetabor in te?
Quando ero sine omni impedimento in vera libertate,
sine omni gravamine mentis et corporis?
Quando erit pax solida, pax imperturbabilis et secura,
pax intus et foris, pax ex omni parte firma?
Jesu bone, quando stabo ad videndum te?
Quando contemplabor gloriam regni tui?
Quando eris mihi *omnia in omnibus*? *(Col 3 : 11)*
O, quando ero tecum in regno tuo
*quod praeparasti dilectis tuis ab aeterno*? *(Mt 25 : 34)*
Relictus sum pauper et exul in terra hostili,
ubi bella quotidiana et infortunia maxima.

4. Consolare exilium meum, mitiga dolorem meum,
quia ad te suspirat omne desiderium meum.
Nam onus mihi totum est quidquid hic mundus offert ad solatium.
Desidero te intime frui - sed nequeo apprehendere.
Opto inhaerere caelestibus - sed deprimunt res temporales
et immortificatae passiones.
Mente omnibus rebus superesse volo -
carne autem invite subesse cogor.
Sic ego homo infelix mecum pugno
et factus sum mihimet ipsi gravis,
dum spiritus sursum - et caro quaerit esse deorsum!

5. O, quid intus patior, dum mente caelestia tracto
et mox carnalium turba occurit oranti!
*Deus meus, ne elongeris a me* *(Ps 71 : 12)*
*neque declines in ira a servo tuo!* *(Ps 27 : 9)*
*Fulgura coruscationem tuam et dissipa eas,*
*emitte sagittas tuas* *(Ps 144 : 6)*
et conturbentur omnes phantasiae inimici.
Recollige sensus meos ad te,
fac me oblivisci omnium mundanorum.
Da cito abjicere et contemnere phantasmata vitiorum.
Succurre mihi, aeterna Veritas,
ut nulla me moveat vanitas.
Adveni, caelestis Suavitas,
et fugiat a facie tua omnis impuritas!
Ignosce quoque mihi et misericorditer indulge
quoties praeter te aliud in oratione revolvo.
Confiteor etenim vere
quia valde distracte me habere consuevi.

**Nam ibi multoties non sum ubi corporaliter sto aut sedeo,**
**sed ibi magis sum quo cogitationibus feror:**
**Ibi sum ubi cogitatio mea est;**
**Ibi est frequenter cogitatio mea ubi est id quod amo.**
**Hoc mihi cito occurrit**
**quod naturaliter delectat aut ex usu placet.**

**6. Unde tu, Veritas, aperte dixisti:**
***« Ubi enim est thesaurus tuus ibi est et cor tuum ».*** ***(Mt 6 : 21)***
**Si caelum diligo**
**libenter de caelestibus penso.**
**Si mundum amo**
**mundi felicitatibus congaudeo et de adversitatibus ejus tristor.**
**Si carnem diligo**
**quae carnis sunt saepe imaginor.**
**Si spiritum amo**
**de spiritualibus cogitare delector.**
**Quaecumque enim diligo**
**de his libenter loquor et audio**
**atque talium imagines mecum ad domum reporto.**
**Sed beatus ille homo qui propter te, Domine,**
**omnibus creaturis licentiam abeundi tribuit,**
**qui naturae vim facit**
**et concupiscentias carnis fervore spiritus crucifigit,**
**ut serenata conscientia puram tibi orationem offerat,**
**dignusque sit angelicis interesse choris**
**omnibus terrenis foris et intus exclusis.**

## Capitulum 49.
## De desiderio aeternae vitae,
## et quanta sint certantibus bona promissa ***audio: 06.18***

**1. « Fili, cum tibi desiderium aeternae beatitudinis**
**desuper infundi sentis,**
**et de tabernaculo corporis exire concupiscis**
**ut claritatem meam sine vicissitudinis umbra contemplari possis,**
**dilata cor tuum**
**et omni desiderio hanc sanctam inspirationem suscipe.**
**Redde amplissimas supernae Bonitati gratias,**
**quae tecum sic dignanter agit,**
**clementer visitat, ardenter excitat, potenter sublevat,**
**ne proprio pondere ad terrena labaris.**
**Neque enim hoc cogitatu tuo aut conatu accipis,**
**sed sola dignatione supernae gratiae et divini respectus**
**quatenus in virtutibus et majori humilitate proficias**
**et ad futura certamina te praepares**
**mihique toto cordis affectu adhaerere**
**ac ferventi voluntate studeas deservire.**

**2. « Fili, saepe ignis ardet -**

**sed sine fumo flamma non ascendit.**
**Sic et aliquorum desideria ad caelestia flagrant -**
**et tamen a tentatione carnalis affectus liberi non sunt.**
**Idcirco nec omnino pure pro honore Dei agunt**
**quod tam desideranter ab eo petunt:**
**tale est et tuum saepe desiderium,**
**quod insinuasti fore tam importunum.**
**Non enim est hoc purum et perfectum**
**quod propria commoditate est infectum.**

**3. « Pete, non quod tibi est delectabile et commodum,**
**sed quod mihi est acceptabile atque honorificum:**
**quia, si recte judicas, meam ordinationem**
**tuo desiderio et omni desiderato praeferre debes ac sequi.**
**Novi desiderium tuum**
**et frequentes gemitus audivi.**
**Jam velles esse *in libertate gloriae filiorum Dei*,** ***(Ro 8 : 21)***
**jam te delectat domus aeterna et caelestis patria gaudio plena.**
**Sed nondum venit hora ista -**
**sed est adhuc aliud tempus: scilicet tempus belli,**
**tempus laboris et probationis.**
**Optas summo repleri Bono -**
**sed non potes hoc assequi modo.**
**« Ego sum, exspecta me », dicit Dominus,**
***« Donec veniat regnum Dei ».*** ***(Lc 22 : 18)***

**4. « Probandus es adhuc in terris et in multis exercitandus.**
**Consolatio tibi interdum dabitur -**
**sed copiosa satietas non concedetur.**
***Confortare igitur et esto robustus,*** ***(Jos 1 : 7)***
**tam in agendo quam in patiendo naturae contraria.**
**Oportet te *novum induere hominem*** ***(Eph 4 : 24)***
**et *in alterum virum mutari*.** ***(1S 10 : 6)***
**Oportet te saepe agere quod non vis**
**et quod vis oportet relinquere.**
**Quod aliis placet processum habebit -**
**quod tibi placet ultra non proficiet.**
**Quod alii dicunt audietur -**
**quod tu dicis pro nihilo computabitur.**
**Petent alii et accipient -**
**tu petes nec impetrabis.**
**Erunt alii magni in ore hominum -**
**de te autem tacebitur.**
**Aliis hoc vel illud committetur -**
**tu autem ad nihil utilis judicaberis.**
**Propter hoc natura quandoque contristabitur:**
**et magnum si silens portaveris.**

**5. « In his et similibus multis probari solet fidelis Domini servus**
**qualiter se abnegare et in omnibus frangere quiverit.**

**Vix est aliquid tale in quo tantundem mori indiges**
**sicut videre et pati quae voluntati tuae adversa sunt,**
**maxime autem cum disconvenientia**
**et quae minus utilia tibi apparent, fieri jubentur.**
**Et quia non audes resistere altiori potestati,**
**sub dominio constitutus,**
**ideo durum tibi videtur ad nutum alterius ambulare**
**et omne proprium sentire omittere.**

**6. « Sed pensa, fili, horum fructum laborum,**
**celerem finem atque praemium nimis magnum:**
**et non habebis inde gravamen**
**sed fortissimum patientiae tuae solamen.**
**Nam et pro modica hac voluntate quam nunc sponte deseris**
**habebis semper voluntatem tuam in caelis.**
**Ibi quippe invenies omne quod volueris,**
**omne quod desiderare poteris;**
**ibi aderit tibi totius facultas boni sine timore amittendi;**
**ibi voluntas tua una semper mecum,**
**nil cupies extraneum vel privatum;**
**ibi nullus resistet tibi,**
**nemo de te conqueretur, nemo impediet, nihil obviabit -**
**sed cuncta desiderata simul erunt praesentia,**
**totumque affectum tuum reficient**
**et adimplebunt usque ad summum.**
**Ibi reddam gloriam pro contumelia perpessa,**
**pallium laudis pro maerore,**
**pro loco novissimo sedem regni in saecula.**
**Ibi apparebit fructus obedientiae, gaudebit labor pœitentiae,**
**et humilis subjectio coronabitur gloriose.**

**7. « Nunc ergo inclina te humiliter sub omnium manibus**
**nec sit curae quis hoc dixerit vel jusserit -**
**sed hoc magno opere curato,**
**ut sive praelatus seu junior aut aequalis**
**aliquid a te exposcerit vel innuerit,**
**pro bono totum accipias**
**et sincera voluntate studeas adimplere.**
**Quaerat alius hoc, alius illud,**
**glorietur ille in illo, et iste in isto,**
**laudeturque millies mille -**
**tu autem nec in isto nec in illo**
**sed in tui ipsius gaude contemptu,**
**et in mei solius beneplacito ac honore.**
**Hoc optandum est tibi:**
**ut, *sive per vitam sive per mortem,***
***Deus semper in te glorificetur*.** ***(Phil 1 : 20)***

## Capitulum 50.
## Qualiter homo desolatus
## debet se in manus Dei offerre *audio: 13.42*

1. Domine Deus, sancte Pater,
sis nunc et in aeternum benedictus,
quia sicut vis sic factum est -
et quod facis bonum est.
Laetetur in te servus tuus, non in se nec in aliquo alio,
quia tu solus laetitia vera,
tu spes mea et corona mea,
tu gaudium meum et honor meus, Domine.
*Quid habet servus tuus nisi quod a te accepit* *(1Co 4 : 7)*
etiam sine merito suo?
Tua sunt omnia quae dedisti et quae fecisti.
*Pauper sum et in laboribus a juventute mea* *(Ps 88 : 16)*
et contristatur anima mea nonnunquam usque ad lacrymas;
quandoque etiam conturbatur ad se
propter imminentes passiones.

2. Desidero pacis gaudium:
pacem filiorum tuorum flagito,
qui in lumine consolationis a te pascuntur.
Si das pacem, si gaudium sanctum infundis,
erit anima servi tui plena modulatione et devota in laude tua -
sed si te subtraxeris sicut saepissime soles,
non poterit *currere viam mandatorum tuorum* *(Ps 119 : 32)*
sed magis ad tundendum pectus genua ejus incurvantur,
quia *non est illi sicut heri et nudius tertius*, *(Gen 31 : 5)*
*quando splendebat lucerna tua super caput ejus* *(Jb 29 : 3)*
et *sub umbra alarum tuarum protegebatur* *(Ps 17 : 8)*
a tentationibus irruentibus.

3. Pater juste et semper laudande,
venit hora ut probetur servus tuus.
Pater amande,
dignum est ut hac hora patiatur pro te aliquid servus tuus.
Pater perpetue venerande,
venit hora quam ab aeterno praesciebas affuturam
ut ad modicum tempus succumbat foris servus tuus -
vivat vero semper apud te intus.
Paululum vilipendatur, humilietur et deficiet coram hominibus,
passionibus conteratur et languoribus,
ut iterum tecum in aurora novae lucis resurgat
et in caelestibus clarificetur.
Pater sancte, tu sic ordinasti et sic voluisti,
et hoc factum est quod ipse praecepisti.

4. Est haec enim gratia ad amicum tuum:
pati et tribulari in mundo pro amore tuo
quotiescumque et a quocumque id permiseris fieri.

Sine consilio et providentia tua et sine causa nihil fit in terra.
*Bonum mihi,* Domine,
*quod humiliasti me ut discam justificationes tuas* *(Ps 69 : 71)*
et omnes elationes cordis atque praesumtiones abjiciam.
Utile mihi quod *confusio cooperuit faciem meam*, *(Ps 69 : 8)*
ut te potius quam homines ad consolandum requiram.
Didici etiam ex hoc inscrutabile judicium tuum expavescere
qui affligis justum cum impio -
sed non sine aequitate et justitia.

5. Gratias tibi, quia non pepercisti malis meis:
sed attrivisti me verberibus amaris,
infligens dolores et immittens angustias foris et intus.
Non est qui me consoletur ex omnibus quae sub caelo sunt
nisi tu, Domine Deus meus, caelestis medicus animarum,
qui *percutis et sana*s,
*deducis ad inferos et reducis*. *(1S 2 : 6)*
Disciplina tua super me et virga tua ipsa me docebit.

6. Ecce, Pater dilecte, in manibus tuis sum ego,
sub virga correctionis tuae me inclino:
percute dorsum meum et collum meum
ut incurvem ad voluntatem tuam tortuositatem meam.
Fac me pium et humilem discipulum sicut bene facere consuevisti
ut ambulem ad omnem nutum tuum.
Tibi me et omnia mea ad corrigendum commendo:
melius est hic corripi quam in futuro.
Tu scis omnia et singula
et nihil te latet in humana conscientia.
Antequam fiant nosti ventura
et non opus est tibi ut quis te doceat aut admoneat
de his quae geruntur in terra.
Tu scis quid expedit ad profectum meum
et quantum deservit tribulatio ad rubiginem vitiorum purgandam.
Fac mecum desideratum beneplacitum tuum
et ne despicias peccaminosam vitam meam
nulli melius nec clarius quam tibi soli notam.

7. Da mihi, Domine, scire quod sciendum est,
hoc amare quod amandum est,
hoc laudare quod tibi summe placet,
hoc reputare quod tibi praetiosum apparet,
hoc vituperare quod oculis tuis sordescit.
Non me sinas *secundum visionem oculorum exteriorum judicare*
*neque secundum auditum aurium hominum imperitorum senten-*
*tiare,* *(Es 11 : 3)*
sed in judicio vero de visibilibus et spiritualibus discernere
atque super omnia voluntatem beneplaciti tui semper inquirere.

8. Falluntur saepe hominum sensus in judicando,

falluntur et amatores saeculi visibilia tantummodo amando.
Quid est homo inde melior
quia reputatur ab homine major?
Fallax fallacem, vanus vanum, caecus caecum,
infirmus infirmum decipit dum exaltat
et veraciter magis confundit dum inaniter laudat.
Nam « quantum unusquisque est in oculis tuis
tantum est et non amplius »,
ait humilis Sanctus Franciscus.

## Capitulum 51.
## Quod humilibus insistendum est operibus
## cum deficitur a summis *audio: 20.54*

1. « Fili, non vales semper in ferventiori desiderio virtutum stare
nec in altiori gradu contemplationis consistere,
sed necesse habes interdum, ob originalem corruptelam,
ad inferiora descendere
et onus corruptibilis vitae etiam invite et cum taedio portare.
Quamdiu mortale corpus geris,
taedium senties et gravamen cordis.
Oportet ergo saepe in carne de carnis onere gemere,
eo quod non vales spiritualibus studiis et divinae contemplationi
indesinenter inhaerere.

2. « Tunc expedit tibi ad humilia et exteriora opera confugere
et in bonis actibus te recreare,
adventum meum et supernam visitationem firma confidentia ex-
spectare,
exilium tuum et ariditatem mentis patienter sufferre
donec iterum a me visiteris et ab omnibus anxietatibus libereris.
Nam faciam te laborum oblivisci et interna quiete perfrui.
Expandam coram te prata Scripturarum
ut dilatato corde *currere* incipias *viam mandatorum meorum*, *(Ps 119 : 32)*
et dices: *« Non sunt condignae passiones hujus temproris*
*ad futuram gloriam quae revelabitur in nobis ».* *(Ro 8 : 15)*

## Capitulum 52.
## Quod homo non reputet se consolatione dignum,
## sed magis verberibus reum *audio: 22.40*

1. « Domine, non sum dignus consolatione tua
nec aliqua spirituali visitatione:
et ideo juste mecum agis
quando me inopem et desolatum relinquis.
Si enim ad instar maris lacrymas fundere possem,
adhuc consolatione tua dignus non essem.
Unde nihil dignus sum quam flagellari et puniri:
quia graviter et saepe te offendi
et in multis valde deliqui.

**Ergo, vera pensata ratione, nec minima sum dignus consolatione.**
**Sed tu, clemens et misericors Deus,**
**qui non vis perire opera tua,**
***ad ostendendum divitias bonitatis tuae in vasa misericordiae*, *(Ro 9 : 23)***
**etiam praeter omne proprium meritum**
**dignaris consolari servum tuum supra humanum modum.**
**Tuae enim consolationes non sunt sicut humanae confabulationes.**

**2. « Quid egi, Domine,**
**ut mihi conferres aliquam caelestem consolationem?**
**Ego nihil boni me egisse recolo -**
**sed semper ad vitia pronum et ad emendationem pigrum fuisse.**
**Verum est, et negare non possum.**
**Si aliter dicerem,**
**tu stares contra me et non esset qui defenderet.**
**Quid merui pro peccatis meis nisi infernum et ignem aeternum?**
**In veritate confiteor**
**quoniam dignus sum omni ludibrio et contemptu**
**nec decet me inter tuos devotos commorari.**
**Et licet hoc aegre audiam,**
**tamen adversum me pro veritate peccata mea arguam**
**ut facilius misericordiam tuam merear impetrare.**

**3. « Quid dicam, reus et omni confusione plenus?**
**Non habeo os loquendi nisi hoc tantum verbum:**
**« Peccavi, Domine, peccavi:**
**miserere mei, ignosce mihi ».**
***Sine me paululum ut plangam dolorem meum,***
***antequam vadam ad terram tenebrosam***
***et opertam mortis caligine. (Jb 10 : 20)***
**Quid tam maxime a reo et misero peccatore requiris**
**nisi ut conteratur et humiliet se pro delictis suis?**
**In vera contritione et cordis humiliatione nascitur spes veniae,**
**reconciliatur perturbata conscientia, reparatur gratia perdita,**
**tuetur homo a futura ira,**
**et occurrunt sibi mutuo in osculo sancto Deus et pœnitens anima.**

**4. « Humilis peccatorum contritio**
**acceptabile tibi est, Domine, sacrificium,**
**longe suavius odorans in conspectu tuo quam thuris incensum.**
**Haec est gratum etiam unguentum**
**quod sacris pedibus tuis infundi voluisti,**
**quia *cor contritum et humiliatum nunquam despexisti*. *(Ps 51 : 19)***
**Ibi est locus refugii a facie irae inimici,**
**ibi emendatur et abluitur**
**quidquid aliunde contractum est et inquinatum ».**

**Capitulum 53.**
**Quod gratia Dei non miscetur terrena sapientibus** ***audio: 26.25***

**1. « Fili, praetiosa est gratia mea:**
**non patitur se misceri extraneis rebus nec consolationibus ter-**
**renis.**
**Abjicere ergo oportet omnia impedimenta gratiae**
**si optas ejus infusionem suscipere.**
**Pete secretum tibi, ama solus habitare tecum,**
**nullius require confabulationem,**
**sed magis ad Deum devotam effunde precem**
**ut compuctam teneas mentem et puram conscientiam.**
**Totum mundum nihil exstima,**
**Dei vacationem omnibus exterioribus antepone.**
**Non enim poteris mihi vacare et in transitoriis pariter delectari.**
**A notis et a caris oportet elongari**
**et ab omni temporali solatio mentem tenere privatam.**
**Sic obsecrat beatus apostolus Petrus:**
**ut *tanquam advenas et peregrinos in hoc mundo*** ***(1P 2 : 11)***
**se contineant Christi fideles.**

**2. « O, quanta fiducia erit morituro**
**quem nullius rei affectus detinet in mundo!**
**Sed sic segregatum cor habere ab omnibus**
**aeger necdum capit animus**
**nec animalis homo novit interni hominis libertatem.**
**Attamen si vere velit esse spiritualis**
**oportet eum renuntiare tam remotis quam propinquis,**
**et a nemine magis cavere quam a se ipso.**
**Si temet ipsum perfecte viceris**
**caetera facilis subjugabis.**
**Perfecta victoria est de semet ipso triumphare:**
**qui enim semet ipsum subjectum tenet**
**ut sensualitas rationi et ratio in cunctis obediat mihi,**
**hic vere victor est sui et dominus mundi.**

**3. « Si ad hunc apicem scandere gliscis,**
**oportet viriliter incipere et securim ad radicem ponere**
**ut evellas et destruas occultam inordinatam inclinationem**
**ad te ipsum et ad omne privatum et materiale bonum.**
**Ex hoc vitio quod homo semet ipsum nimis inordinate diligit**
**paene totum pendet quidquid radicaliter vincendum est,**
**quo devicto et subacto malo,**
**pax magna et tranquillitas erit continuo.**
**Sed quia pauci sibi ipsi perfecte mori laborant**
**nec plene extra se tendunt,**
**propterea in se implicati remanent**
**nec supra se in spiritu elevari possunt.**
**Qui autem libere mecum ambulare desiderat**
**necesse est ut omnes pravas et inordinatas affectiones suas mor-**
**tificet**

atque nulli creaturae privato amore concupiscenter inhaereat ».

## Capitulum 54.
## De diversis motibus naturae et gratiae *audio: 00.12*

1. « Fili, diligenter adverte motus naturae et gratiae:
quia valde contrarie et subtiliter moventur
et vix nisi a spirituali et intimo illuminato homine discernuntur.
Omnes quidem bonum appetunt
et aliquid boni in suis dictis vel factis praetendunt:
ideo sub specie boni multi falluntur.

2. « Natura callida est et multos trahit, illaqueat et decipit,
et se semper pro fine habet -
sed gratia simpliciter ambulat, ab omni specie mala declinat,
fallacias non praetendit,
et omnia pure propter Deum agit
in quo et finaliter requiescit.

3. « Natura invite vult mori nec premi nec superari
nec subesse nec sponte subjugari -
gratia vero studet mortificationi propriae,
resistit sensualitati, quaerit subjici, appetit vinci;
nec propria vult libertate fungi,
sub disciplina amat teneri nec alicui cupit dominari,
sed sub Dei semper vivere, stare et esse,
atque propter Deum *omni humanae creaturae*
*humiliter parata est inclinari*. *(1P 2 : 13)*

4. « Natura pro suo commodo laborat
et quid lucri ex alio sibi proveniat attendit -
gratia autem non quid sibi utile et commodum sit
sed quod multis proficiat magis considerat.

5. « Natura libenter honorem et reverentiam accipit -
gratia vero omnem honorem et gloriam Deo fideliter attribuit.

6. « Natura confusionem timet et contemptum -
gratia autem gaudet *pro nomine Jesu pati contumeliam*. *(Act 5 : 41)*

7. « Natura otium amat et quietem corporalem -
gratia vero vacua esse non potest
sed libenter amplectitur laborem.

8. « Natura quaerit habere curiosa et pulchra,
abhorret vilia et grossa -
gratia vero simplicibus delectatur et humilibus.
Aspera non aspernatur
nec vetustis refugit indui pannis.

**9. « Natura respicit temporalia, gaudet ad lucra terrena,**
**tristatur de damno, irritatur levi injuriae verbo -**
**sed gratia attendit aeterna,**
**non inhaeret temporalibus nec in perditione rerum turbatur**
**neque verbis durioribus acerbatur,**
**quia thesaurum suum et gaudium**
**in caelo, ubi nihil perit, constituit.**

**10. « Natura cupida est et libentius accipit quam donat,**
**amat propria et privata -**
**gratia autem pia est et communis,**
**vitat singularia, contentatur paucis,**
***beatius dare judicat quam accipere.*** ***(Act 20 : 35)***

**11. « Natura inclinat ad creaturas, ad carnem propriam,**
**ad vanitates et discursus -**
**sed gratia trahit ad Deum et ad virtutes,**
**renuntiat creaturis, fugit mundum,**
**odit carnis desideria, restringit evagationes,**
**erubescit in publico apparere.**

**12. « Natura libenter aliquod solatium habet externum**
**in quo delectetur ad sensum -**
**sed gratia in solo Deo quaerit consolari**
**et in summo bono super omnia visibilia delectari.**

**13. « Natura totum agit propter lucrum et commodum proprium,**
**nihil gratis facere potest:**
**sed aut aequale, aut melius, aut laudem vel favorem**
**pro benefactis consequi sperat**
**et multum ponderari sua gesta et dona concupiscit -**
**gratia vero nihil temporale quaerit**
**nec aliud praemium quam Deum solum pro mercede postulat,**
**nec amplius de temporalibus necessariis desiderat**
**nisi quantum haec sibi ad assecutionem aeternorum valeant de-**
**servire.**

**14. « Natura gaudet de amicis multis et propinquis,**
**gloriatur de nobili loco et ortu generis.**
**Arridet potentibus, blanditur divitibus,**
**applaudit sibi similibus -**
**gratia autem et inimicos diligit nec de amicorum turba extollitur,**
**nec locum nec ortum natalium reputat**
**nisi virtus major fuerit;**
**favet magis pauperi quam diviti,**
**compatitur plus innocenti quam potenti,**
**congaudet veraci et non fallaci,**
**exhortatur semper bonos *meliora charismata aemulari*** ***(1Co 12 : 31)***
**et Filio Dei per virtutes assimilari.**

**15. « Natura de defectu et molestia cito conqueritur -**

**gratia constanter fert inopiam.**

**16. « Natura omnia ad se reflectit,**
**pro se certat et arguit -**
**gratia autem ad Deum cuncta reducit**
**unde originaliter emanant.**
**Nihil boni sibi adscribit nec arroganter praesumit,**
**non contendit nec suam sententiam aliis praefert,**
**sed in omni sensu et intellectu**
**aeternae sapientiae ac divino examini se submittit.**

**17. « Natura appetit scire secreta et nova audire,**
**vult exterius apparere et multa per sensus experiri,**
**desiderat agnosci et agere unde laus et admiratio procedit -**
**sed gratia non curat nova nec curiosa percipere:**
**quia totum hoc de vetustate corruptionis est ortum**
**cum nihil novum et durabile sit super terram.**
**Docet itaque sensus restringere,**
**vanam complacentiam et ostentationem devitare,**
**laudanda et digne miranda humiliter abscondere,**
**et de omni re et in omni scientia utilitatis fructum**
**atque Dei laudem et honorem quaerere.**
**Non vult se nec sua praedicari**
**sed Deum in donis suis optat benedici,**
**qui cuncta ex mera caritate largitur.**

**18. « Haec gratia supernaturale lumen**
**et quoddam Dei speciale donum est,**
**et proprie electorum signaculum et pignus salutis aeternae:**
**quae hominem de terrenis ad caelestia amanda sustollit**
**et de carnali spiritualem efficit.**
**Quanto igitur natura amplius premitur et vincitur**
**tanto major gratia infunditur,**
**et quotidie novis visitationibus interior homo secundum imaginem Dei reformatur ».**

## Capitulum 55.
## De corruptione naturae
## et efficacia gratiae divinae *audio: 08.04*

**1. « Domine Deus meus,**
**qui me creasti ad imaginem et similitudinem tuam,**
**concede mihi hanc gratiam**
**quam ostendisti tam magnam et necessariam ad salutem,**
**ut vincam pessimam naturam meam**
**trahentem ad peccata et in perditionem.**
***Sentio enim in carne mea legem peccati***
***contradicentem legi mentis meae*** ***(Ro 7 : 23)***
**et captivum me ducentem ad obediendum sensualitati in multis,**
**nec possum resistere passionibus ejus**

**nisi assistat tua sanctissima gratia cordi meo ardenter infusa.**

**2. « Opus est gratia tua - et magna gratia - ut vincatur natura**
***ad malum semper prona ab adolescentia sua*. *(Gen 8 : 21)***
**Nam per primum hominem Adam lapsa**
**et vitiata per peccatum,**
**in omnes homines pœna hujus maculae descendit:**
**ut ipsa natura, quae bona et recta a te condita fuit,**
**pro vitio jam et infirmitate corruptae naturae ponatur,**
**eo quod motus ejus sibi relictus ad malum et inferiora trahit.**
**Nam modica vis quae remansit est tamquam scintilla quaedam**
**latens in cinere:**
**haec est ipsa ratio naturalis, circumfusa magna caligine,**
**adhuc judicium habens boni et mali, veri falsique distantiam -**
**licet impotens sit adimplere omne quod approbat,**
**nec pleno jam lumine veritatis nec sanitate affectionem suarum**
**potiatur.**

**3. « Hinc est, Deus meus, quod *condelector legi tuae***
***secundum interiorem hominem*, *(Ro 7 : 22)***
**sciens *mandatum tuum* fore *bonum, justum et sanctum*, *(Ro 7 : 12)***
**arguens etiam omne malum et peccatum fugiendum -**
***carne* autem *servio lege peccati* *(Ro 7 : 18)***
**dum magis sensualitati obedio quam rationi.**
**Hinc est quod *velle bonum mihi adjacet -***
***perficere autem non invenio. (Ro 7 : 18)***
**Hinc saepe multa bona propono -**
**sed, quia gratia deest ad adjuvandam infirmitatem meam,**
**ex levi resistentia resilio et deficio.**
**Hinc accidit quod viam perfectionis agnosco**
**et qualiter agere debeam clare satis video -**
**sed propriae corruptionis pondere pressus**
**ad perfectiora non assurgo.**

**4. « O, quam maxime est mihi necessaria, Domine, tua gratia**
**ad inchoandum bonum, ad proficiendum et ad perficiendum!**
**Nam sine ea nihil possum facere -**
***omnia autem possum in te, confortante me gratia*. *(Phil 4 : 15)***
**O, vere caelestis gratia, sine qua nulla sunt propria merita,**
**nulla quoque dona naturae ponderanda!**
**Nihil artes, nihil divitiae, nihil pulchritudo vel fortitudo,**
**nihil ingenium vel eloquentia valent apud te, Domine,**
**sine gratia.**
**Nam dona naturae bonis et malis sunt communia -**
**electorum autem proprium donum est gratia sive dilectio,**
**qua insigniti digni habentur vita aeterna.**
**Tantum eminet haec gratia**
**ut nec donum prophetiae, nec signorum operatio**
**nec quantalibet alta speculatio**
**aliquid aestimetur sine ea.**

Sed neque fides, neque spes, neque aliae virtutes
tibi acceptae sunt sine caritate et gratia.

5. « O, beatissima gratia,
quae pauperem spiritu virtutibus divitem facis
et divitem multis bonis humilem corde reddis,
veni, descende ad me,
reple me mane consolatione tua,
ne deficiat prae lassitudine et ariditate mentis anima mea.
Obsecro, Domine, ut *inveniam gratiam in oculis tuis*: *(Gen 43 : 3)*
*sufficit enim mihi gratia tua* *(2Co 12 : 9)*
caeteris non obtentis quae desiderat natura.
Si fuero tentatus et vexatus tribulationibus multis
non timebo mala dum mecum fuerit gratia tua.
Ipsa fortitudo mea,
ipsa consilium confert et auxilium.
Cunctis hostibus potentior est
et sapientior universis sapientibus.

6. « Magistra est veritatis, doctrix disciplinae,
lumen cordis, solamen pressurae,
fugatrix tristitiae, ablatrix timoris,
nutrix devotionis, productrix lacrymarum.
Quid sum sine ea nisi aridum lignum
et stips inutilis, ad ejiciendum?
Tua ergo me, Domine, gratia semper praeveniat et sequatur
ac bonis operibus jugiter praestet esse intentum
per Jesum Christum Filium tuum ».
Amen.

## Capitulum 56.
## Quod nos ipsos abnegare
## et Christum imitari debemus per crucem

*audio: 14.16*

1. « Fili, quantum a te vales exire
tantum in me poteris transire.
Sicut nihil foris concupiscere internam pacem facit
sic se interius relinquere Deo conjungit.
Volo te addiscere perfectam abnegationem tui in voluntate mea
sine contradictione et querela.
Sequere me: *Ego sum Via, Veritas et Vita*. *(Joh 14 : 6)*
Sine via non itur, sine veritate non cognoscitur,
sine vita non vivitur.
Ego sum Via quam sequi debes, Veritas cui credere debes,
Vita quam sperare debes.
Ego sum Via inviolabilis, Veritas infallibilis,
Vita interminabilis.
Ego sum Via rectissima, Veritas suprema,
Vita vera, Vita beata, Vita increata.
Si manseris in via mea

*cognosces veritatem et veritas liberabit te*, *(Joh 8 : 32)*
*et apprehendes vitam aeternam*. *(1T 6 : 12)*

2. « *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*. *(Mt 19 : 17)*
Si vis veritatem cognoscere, crede mihi.
*Si vis perfectus esse, vende omnia.* *(Mt 19 : 21)*
*Si vis esse discipulus meus, abnega temet ipsum.* *(Mt 16 : 24)*
Si vis beatam vitam possidere, praesentem vitam contemne.
Si vis exaltari in caelo, humilia te in mundo.
Si vis regnare mecum, porta crucem mecum:
soli enim servi crucis inveniunt vitam beatitudinis
et verae lucis ».

3. - « Domine Jesu, quia arta erat vita tua et mundo despecta,
dona mihi tecum mundi despectu imitari.
*Non enim major est servus Domino suo*
*nec discipulus supra magistrum.* *(Mt 10 : 24)*
Exerceatur servus tuus in vita tua,
quia ibi est salus mea et sanctitas vera.
Quidquid extra eam lego vel audio
non me recreat nec delectat plene ».

4. - « Fili, quia haec scis et legisti omnia,
*beatus eris si feceris ea*. *(Joh 13 : 17)*
*Qui habet mandata mea et servat ea*
*ipse est qui diligit me,*
*et ego diligam eum et manifestabo ei me ipsum* *(Joh 14 : 21)*
*et faciam eum consedere mecum* in regno Patris mei». *(Ap 3 : 20)*

5. - « Domine Jesu, sicut dixisti et promisisti,
sic utique fiat et mihi promereri contingat.
Suscepi, suscepi de manu tua crucem:
portavi, et portabo eam usque ad mortem
sicut imposuisti mihi.
Vere vita boni monachi crux est - sed dux paradisi.
Inceptum est: retro abire non licet
nec relinquere oportet ».

6. Eia fratres, pergamus simul:
Jesus erit nobiscum.
Propter Jesum suscepimus hanc crucem,
propter Jesum perseveremus in cruce.
Erit adjutor noster,
qui est dux noster et praecessor.
En rex noster ingrediatur ante nos,
qui pugnabit pro nobis.
Sequamur viriliter: nemo metuat terrores.
Simus parati mori fortiter in bello,
nec inferamus crimen gloriae nostrae ut fugiamus a cruce.

**Capitulum 57.**
**Quod homo non sit nimis dejectus**
**quando in aliquos labitur defectus** ***audio: 18.17***

**1. « Fili, magis placent mihi patientia et humilitas in adversis**
**quam multa consolatio et devotio in prosperis.**
**Ut quid te contristat parvum factum contra te dictum?**
**Si amplius fuisset, commoveri non debuisses.**
**Sed nunc permitte transire: non est primum nec novum,**
**nec ultimum erit si diu vixeris.**
**Satis virilis es quamdiu nil obviat adversi -**
**bene etiam consulis et alios nosti roborare verbis;**
**sed cum ad januam tuam venit repentina tribulatio,**
**deficis consilio et robore.**
**Attende magnam fragilitatem tuam**
**quam saepius experiris in modicis objectis:**
**tamen pro salute tua ista fiunt**
**cum haec et similia contingunt.**

**2. « Pone, ut melius nosti, ex corde -**
**et si tetigerit,**
**non tamen dejiciat nec diu implicet.**
**Ad minus sustine patienter**
**si non potes gaudenter.**
**Etiam si minus libenter audis et indignationem sentis,**
**reprime te**
**nec patiaris aliquid inordinatum ex ore tuo exire**
**unde parvuli scandalizentur.**
**Cito conquiescet commotio excitata,**
**et dolor internus revertente dulcorabitur gratia.**
**Adhuc vivo ego, dixit Dominus,**
**juvare te paratus et solito amplius consolari,**
**si confisus fueris mihi et devote invocaveris.**

**3. « Animaequior esto**
**et ad majorem sustinentiam accingere.**
**Non est totum frustratum**
**si te saepius percipis tribulatum vel graviter tentatum.**
**Homo es, et non Deus;**
**caro es, non angelus.**
**Quomodo tu posses semper in eodem statu virtutis permanere,**
**quando hoc defuit angelo in caelo**
**et primo homini in paradiso?**
**Ego sum qui maerentes erigo sospitate,**
**et suam cognoscentes infirmitatem ad meam proveho divinitatem ».**

**4. - «Domine, benedictum sit verbum tuum,**
***dulce super mel et favum ori meo!*** ***(Ps 19 : 11)***
**Quid facerem in tantis tribulationibus et angustiis meis**
**nisi me confortares tuis sanctis sermonibus?**
**Dummodo tandem ad portum salutis perveniam,**

**quid curae est quae et quanta passus fuero?**
**Da finem bonum,**
**da felicem ex hoc mundo transitum.**
**Memento mei, Deus meus,**
**et dirige me recto itinere in regnum tuum ».**
**Amen.**

## Capitulum 58.
## De altioribus rebus et occultis judiciis Dei non scrutandis

***audio: 21.48***

**1. « Fili, caveas disputare de altis materiis**
**et de occultis Dei judiciis:**
**cur iste sic relinquitur et ille ad tantam gratiam assumitur;**
**cur etiam iste tantum affligitur et ille tam eximie exaltatur?**
**Ista omnem humanam facultatem excedunt**
**nec ad investigandum judicium divinum**
**ulla ratio praevalet vel disputatio.**
**Quando ergo haec tibi suggerit inimicus**
**vel etiam quidam curiosi inquirunt homines,**
**responde illud prophetae:**
***« Justus es, Domine, et rectum judicium tuum »,*** ***(Ps 119 : 137)***
**et illud: *« Judicia Domini vera, justificata in semet ipsa ».*** ***(Ps 19 : 10)***
**Judicia mea metuenda sunt, non discutienda,**
**quia humano intellectu sunt incomprehensibilia.**

**2. « Noli etiam inquirere nec disputare de meritis sanctorum:**
**quis alio sit sanctior aut quis major fuerit in regno caelorum.**
**Talia generant saepe lites et contentiones inutiles**
**nutriunt quoque superbiam et vanam gloriam**
**unde oriuntur invidiae et dissensiones,**
**dum iste istum sanctum et alius alium conatur superbe praeferre.**
**Talia autem velle scire et investigare nullum fructum afferunt**
**sed magis sanctis displicent,**
**quia *non sum Deus dissensionis sed pacis* -** ***(1Co 14 : 33)***
**quae pax magis in humilitate vera**
**quam in propria exaltatione consistit.**

**3. « Quidam zelo dilectionis trahuntur ad hos vel ad illos**
**ampliori effectu -**
**sed humano potius quam divino.**
**Ego sum qui cunctos condidi sanctos,**
**ego donavi gratiam, ego praestiti gloriam.**
**Ego novi singulorum merita,**
***ego praeveni eos in benedictionibus dulcedinis meae*.** ***(Ps 21 : 4)***
**Ego praescivi dilectos ante saecula,**
***ego eos elegi de mundo* -** ***(Joh 15 : 19)*** **non ipsi me praeelegerunt.**
**Ego vocavi per gratiam, attraxi per misericordiam.**
**Ego perduxi eos per tentationes varias,**
**ego infudi consolationes magnificas.**

Ego dedi perseverantiam, ego coronavi eorum patientiam.

4. « Ego primum et novissimum agnosco,
ego omnes inaestimabili dilectione amplector.
Ego laudandus sum in omnibus sanctis meis,
ego super omnia benedicendus sum et honorandus in singulis,
quos sic gloriose magnificavi et praedestinavi
sine ullis praecedentibus propriis meritis.
Qui ergo unum de minimis meis contempserit
nec magnum honorat:
quia pusillum et magnum ego feci.
Et qui derogat alicui sanctorum
derogat et mihi et caeteris omnibus in regno caelorum.
Omnes unum sunt per caritatis vinculum:
idem sentiunt, idem volunt
et omnes in unum se diligunt.

5. « Adhuc autem - quod multo altius est -
plus me quam se et sua merita diligunt.
Nam supra se rapti et extra propriam dilectionem tracti,
toti in amorem mei pergunt
in quo et fruitive quiescunt.
Nihil est quod eos avertere possit aut deprimere:
quippe qui, aeterna veritate pleni,
igne ardescunt inexstinguibilis caritatis.
Taceant igitur carnales et animales homines de sanctorum sta-
tu disserere,
qui non norunt nisi privata gaudia diligere.
Demunt et addunt pro sua inclinatione,
non prout placet aeternae Veritati.

6. « In multis est ignorantia, eorum maxime qui parum illuminati
raro aliquem perfecta dilectione spirituali diligere norunt.
Multum adhuc naturali affectu et humana amicitia
ad hos vel ad illos trahuntur,
et sicut in inferioribus se habent
ita et de caelestibus imaginantur.
Sed est distantia incomparabilis quae imperfecti cogitant
et quae illuminati viri per revelationem supernam speculantur.

7. « Cave ergo, fili, de istis curiose tractare
quae tuam scientiam excedunt -
sed hoc magis satage et intende
ut vel minimus in regno Dei queas inveniri.
Et si quispiam sciret quis alio sanctior esset
vel major haberetur in regno caelorum,
quid ei haec notitia prodesset
nisi se ex hac cognitione coram me humiliaret
et in majorem nominis mei laudem exsurgeret?
Multo acceptius Deo facit qui de peccatorum suorum magnitudine

**et virtutum suarum parvitate cogitat**
**et quam longe a perfectione sanctorum distat,**
**quam is qui de eorum majoritate vel parvitate disputat.**
**Melius est sanctos devotis precibus et lacrymis exorare**
**et eorum gloriosa suffragia humili mente implorare**
**quam eorum secreta vana inquisitione perscrutari.**

**8. « Illi bene et optime contentantur -**
**si homines scirent contentari et vaniloquia sua compescere.**
**Non gloriantur de propriis meritis**
**quippe qui sibi nihil bonitatis adscribunt sed totum mihi,**
**quoniam ipsis cuncta ex infinita caritate mea donavi.**
**Tanto amore divinitatis et gaudio supereffluenti replentur,**
**ut nihil eis desit gloriae nihilque possit deesse felicitatis.**
**Omnes sancti quanto altiores in gloria**
**tanto humiliores in se ipsis,**
**et mihi viciniores et dilectiores existunt.**
**Ideoque habes scriptum quia *mittebant coronas suas ante Deum,***
***et ceciderunt in facies suas coram Agno***
***et adoraverunt Viventem in saecula saeculorum.*** ***(Ap 4 : 10, 5 : 4)***

**9. « Multi quaerunt *quis major sit in regno Dei*** ***(Mt 18 : 1)***
**qui ignorant an cum minimis erunt digni computari.**
**Magnum est vel minimum esse in caelo**
**ubi omnes magni sunt:**
**quia *omnes filii Dei vocabuntur* - et erunt.** ***(Mt 5 : 9)***
***Minimus erit in mille***
***et peccator centum annorum morietur.*** ***(Es 65 : 20)***
**Cum enim quaererent discipuli quis major esset in regno caelorum**
**tale audierunt responsum:**
***« Nisi conversi fueritis et efficiamini sicut parvuli***
***non intrabitis in regnum caelorum.***
***Quicumque ergo humiliaverit se sicut parvulus iste***
***hic major est in regno caelorum ».*** ***(Mt 18 : 3-4)***

**10. « Vae eis qui cum parvulis humiliare se sponte dedignantur,**
**quoniam humilis janua regni caelestis eos non admittet intrare.**
***Vae etiam divitibus,***
***qui habent hic consolationes suas*.** ***(Lc 6 : 24)***
**Quia, pauperibus intrantibus in regnum Dei,**
**ipsi stabunt foris ejulantes.**
**Gaudete humiles, et exultate pauperes,**
***quia vestrum est regnum De*i -** ***(Lc 6 : 20)***
**si tamen in veritate ambulatis ».**

## Capitulum 59.
## Quod omnis spes et fiducia
## in solo Deo est figenda *audio: 31.10*

**1. « Domine, quae est fiducia mea quam in hac vita habeo**

**aut quod majus solatium meum ex omnibus apparentibus sub caelo?**
**Nonne tu, Domine Deus meus,**
**cujus misericordiae non est numerus?**
**Ubi mihi bene fuit sine te**
**aut quando male esse potuit praesente te?**
**Malo pauper esse propter te**
**quam dives sine te.**
**Eligo potius tecum in terra peregrinari**
**quam sine te caelum possidere.**
**Ubi tu, ibi caelum -**
**atque ibi mors et infernus ubi tu non es.**
**Tu mihi in desiderio es;**
**et ideo post te gemere, clamare et exorare necesse est.**
**In nullo denique possum plene confidere,**
**qui in necessitatibus auxilietur opportunius**
**nisi in te solo Deo meo.**
**Tu es spes mea, tu fiducia mea,**
**tu consolator meus et fidelissimus in omnibus.**

**2. « *Omnes quae sua sunt quaerunt* -** ***(Phil 2 : 21)***
**tu salutem meam et profectum meum solummodo praetendis**
**et omnia in bonum mihi convertis.**
**Etiamsi variis tentationibus et adversitatibus exponas,**
**hoc totum ad utilitatem meam ordinas,**
**qui mille modis dilectos tuos probare consuevisti.**
**In qua probatione non minus diligi debes et laudari**
**quam si caelestibus consolationibus me repleres.**

**3. « In te ergo, Domine Deus,**
**pono totam spem meam et refugium;**
**in te omnem tribulationem et angustiam meam constituo,**
**quia totum infirmum et instabile invenio**
**quidquid extra te conspicio.**
**Non enim proderunt multi amici**
**neque fortes auxiliarii adjuvare poterunt;**
**nec prudentes consiliarii responsum utile dare**
**neque libri doctorum consolari;**
**nec aliqua praetiosa substantia liberare**
**nec locus aliquis secretus et amoenus contutari,**
**si tu ipse non assistas, juves, confortes,**
**consoleris, instruas et custodias.**

**4. « Omnia namque quae ad pacem videntur esse et felicitatem habendam**
**te absente nihil sunt nihilque felicitatis in veritate conferunt.**
**Finis ergo omnium bonorum**
**et altitudo vitae et profunditas eloquiorum tu es,**
**et in te super omnia sperare**
**fortissimum solatium servorum tuorum.**

***Ad te sunt oculi mei***, *(Ps 141 : 8)*
**in te confido, Deus meus, misericordiarum Pater!**
**Benedic et sanctifica animam meam benedictione caelesti**
**ut fiat habitatio sancta tua et sedes aeternae gloriae tuae,**
**nihilque in templo tuae dignitatis inveniatur**
**quod oculos tuae majestatis offendat.**
**Secundum magnitudinem bonitatis tuae**
**et multitudinem miserationum tuarum**
**respice in me,**
**et exaudi orationem pauperis servi tui**
**longe exulantis in regione umbrae mortis.**
**Protege et conserva animam servuli tui**
**inter tot discrimina vitae corruptibilis,**
**ac comitante gratia tua dirige per viam pacis**
**ad patriam perpetuae claritatis ».**
**Amen.**

# Liber quartus

## Devota exhortatio ad sacram communionem *audio: 00.12*

**Vox Christi:**
***« Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis,***
***et ego reficiam vos »*, dicit Dominus.** *(Mt 11 : 28)*
***« Panis quem ego dabo***
***caro mea est pro mundi vita.***
***Accipite et comedite:***
***hoc est Corpus meum quod pro vobis tradetur.***
***Hoc facite in meam commemorationem.*** *(Lc 22 : 19, 1Co 11 : 24)*
***Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem***
***in me manet et ego in illo.*** *(Joh 6 : 57)*
***Verba quae ego locutus sum vobis***
***spiritus et vita sunt ».*** *(Joh 6 : 64)*

## Capitulum 1. Cum quanta reverentiae Christus sit suscipiendus *audio: 00.10*

**Vox discipuli:**

**1. « Haec sunt verba tua, Christe, Veritas aeterna,**
**quamvis non uno tempore prolata nec uno in loco conscripta.**
**Quia ergo tua sunt et vera**
**gratanter mihi et fideliter cuncta sunt accipienda.**
**Tua sunt et tu ea protulisti,**
**et mea quoque sunt**
**quia pro salute mea ea edidisti:**

**libenter suspicio ea ex ore tuo**
**ut arctius inserantur cordi meo.**
**Excitant me verba tantae pietatis,**
**plena dulcedinis et dilectionis -**
**sed terrent me delicta propria,**
**et ad capienda tanta mysteria**
**me reverberat impura conscientia.**
**Provocat me dulcedo verborum tuorum -**
**sed onerat multitudo vitiorum meorum.**

**2. « Jubes ut fiducialiter ad te accedam**
**si tecum velim habere partem,**
**et ut immortalitatis accipiam alimoniam,**
**si aeternam cupiam obtinere vitam et gloriam.**
***« Venite »,* inquis*, « Ad me omnes qui laboratis et onerasti estis,***
***et ego reficiam vos ».*** ***(Mt 11 : 28)***
**O, dulce et amicabile verbum in aure peccatoris,**
**quod tu, Domine Deus meus, egenum et pauperem invitas**
**ad communionem tui sanctissimi corporis.**
**Sed quis ego sum, Domine,**
**ut ad te praesumam accedere?**
***Ecce caeli caelorum te non capiunt -*** ***(1 R 8 :27)***
**et tu dicis*: « Venite ad me omnes »*!**

**3. « Quid sibi vult ista piissima dignatio**
**et tam amicabilis invitatio?**
**Quomodo ausus ero venire,**
**qui nihil boni mihi conscius sum unde possim praesumere?**
**Quomodo te introducam in domum meam,**
**qui saepius offendi benignissimam faciem tuam?**
**Reverentur angeli et archangeli, metuunt sancti et justi,**
**et tu dicis: *« Venite ad me omnes »*!**
**Nisi tu, Domine, hoc diceres, quis verum esse crederet?**
**Et nisi tu juberes, quis accedere attentaret?**

**4. « Ecce Noe vir justus in arcae fabrica centum annis laboravit**
**ut cum paucis salvaretur -**
**et ego quomodo me potero una hora praeparare**
**ut mundi Fabricatorem cum reverentia sumam?**
**Moyses, famulus tuus, magnus et specialis amicus tuus,**
**arcam ex lignis imputribilibus fecit**
**quam et mundissimo vestivit auro,**
**ut tabulas legis in ea reponeret -**
**et ego putrida creatura**
**audebo te Conditorem legis ac vitae Datorem tam facile suscipere?**
**Salomon, sapientissimus regum Israel,**
**templum magnificum septem annis in laudem nominis tui aedificavit,**
**et octo diebus festum dedicationis ejus celebravit:**
**mille hostias pacificas obtulit**
**et arcam fœderis in clangore buccinae et jubilo**

in loco sibi praeparato solemniter collocavit -
et ego infelix et pauperrimus hominum,
quomodo te in domum meam introducam,
qui vix mediam expendere devote novi horam? -
et utinam vel semel digne fere mediam!

5. « O, mi Deus, quantum illi ad placendum tibi agere studuerunt!
Heu, quam pusillum est quod ago!
Quam breve expleo tempus cum me ad communicandum dispono!
Raro totus collectus,
rarissime ab omni distractione purgatus.
Et certe in tua salutari deitatis praesentia
nulla deberet occurrere indecens cogitatio -
nulla etiam occupare creatura,
quia non angelum sed angelorum Dominum
suscepturus sum hospitio.

6. « Est tamen valde magna distantia inter arcam fœderis
cum suis reliquiis,
et mundissimum Corpus tuum cum suis ineffabilibus virtutibus,
inter legalia illa sacrificia futurorum praefigurativa
et veram Corporis tui hostiam,
omnium antiquorum sacrificiorum completivam.

7. « Quare igitur non magis ad tuam venerabilem inardesco prae-
sentiam?
Cur non majori me praeparo sollicitudine ad tua sancta sumenda,
quando illi antiqui sancti patriarchae et prophetae
reges quoque et principes cum universo populo
tantum devotionis demonstrarunt affectum
erga cultum divinum?

8. « Saltavit devotissimus rex David coram arca Dei totis viribus,
recolens beneficia olim indulta patribus.
Fecit diversi generis organa,
psalmos edidit et cantari instituit cum laetitia,
cecinit et ipse frequenter in cithara
Spiritus Sancti afflatus gratia,
docuit populum Israel toto corde Deum laudare
et ore consono diebus singulis benedicere et praedicare.
Si tanta agebatur tunc devotio
ac divinae laudis extitit recordatio coram arca testamenti,
quanta nunc mihi et omni populo christiano
habenda est reverentia et devotio in praesentia Sacramenti
in sumptione excellentissimi corporis Christi!

9. « Currunt multi ad diversa loca pro visitandis reliquiis sanctorum
et mirantur auditis gestis eorum.
Ampla aedificia templorum inspiciunt
et osculantur sericis et auro involuta sacra ossa ipsorum.

Et ecce, tu praesens es hic apud me in altari,
Deus meus, Sanctus sanctorum,
Creator hominum et Dominus angelorum.
Saepe in talibus videndis curiositas est hominum
et novitas invisorum -
et modicus reportatur emendationis fructus,
maxime ubi est tam levis sine vera contritione discursus.
Hic autem in Sacramento altaris totus praesens es Deus meus,
homo Christus Jesus:
ubi et copiosus percipitur aeternae salutis fructus
quotienscumque fueris digne ac devote susceptus.
Ad istud vero non trahit levitas aliqua
nec curiositas aut sensualitas,
sed firma fides, devota spes, et sincera caritas.

10. « O, invisibilis Conditor mundi Deus,
quam mirabiliter agis nobiscum,
quam suaviter et gratiose cum electis tuis disponis,
quibus temet ipsum in Sacramento sumendum proponis!
Hoc namque omnem intellectum superat,
hoc specialiter devotorum corda trahit
et accendit affectum.
Ipsi enim veri fideles tui
qui totam vitam suam ad emendationem disponunt,
ex hoc dignissimo Sacramento magnam devotionis gratiam
et virtutis amorem frequenter recipiunt.

11. « O, admirabilis et abscondita gratia Sacramenti
quam norunt tantum Christi fideles -
infideles autem et peccatis servientes experiri non possunt!
In hoc Sacramento confertur spiritualis gratia
et reparatur in anima virtus amissa,
et per peccatum deformata redit pulchritudo.
Tanta est aliquando haec gratia
ut ex plenitudine collatae devotionis
non tantum mens sed et debile corpus
vires sibi praestitas sentiat ampliores.

12. « Dolendum tamen valde et miserandum
super tepiditate et negligentia nostra,
quod non majori affectu trahimur ad Christum sumendum,
in quo tota spes salvandorum consistit et meritum.
Ipse enim est sanctificatio nostra et redemptio,
ipse consolatio viatorum et sanctorum aeterna fruitio.
Dolendum itaque valde
quod multi tam parum hoc salutare mysterium advertunt
quod caelum laetificat et mundum conservat universum.
Heu caecitas et duritia cordis humani
tam ineffabile donum non magis attendere
et ex quotidiano usu etiam ad inadvertentiam defluere!

**13. « Si enim hoc sanctissimum Sacramentum in uno tantum celebraretur loco**
**et ab uno tantum consecraretur sacerdote in mundo,**
**quanto putas desiderio ad illum locum**
**et ad talem Dei sacerdotem homines afficerentur**
**ut divinia ministeria celebrari viderent?**
**Nunc autem multi facti sunt sacerdotes**
**et in multis locis offertur Christus:**
**ut tanto major appareat gratia et dilectio Dei ad hominem**
**quanto latius est sacra communio diffusa per orbem.**
**Gratias tibi, Jesu bone, pastor aeterne,**
**qui nos pauperes et exules**
**dignatus est praetioso corpore et sanguine tuo reficere,**
**et ad haec mysteria percipienda**
**etiam proprii oris tui alloquio invitare dicendo:**
***« Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis,***
***et ego reficiam vos ».*** ***(Mt 11 : 28)***

## Capitulum 2.
## Quod magna bonitas et caritas Dei in Sacramento homini exhibetur *audio: 12.10*

**Vox discipuli:**

**1. « Super bonitate tua et magna misericordia tua,**
**Domine, confisus,**
**accedo aeger ad Salvatorem,**
**esuriens et sitiens ad fontem vitae,**
**egenus ad Regem caeli, servus ad Dominum,**
**creatura ad Creatorem,**
**desolatus ad meum pium Consolatorem.**
**Sed unde hoc mihi ut venias ad me?**
**Quis ego sum ut praestes mihi temet ipsum?**
**Quomodo audet peccator coram te apparere**
**et tu quomodo dignaris ad peccatorem venire?**
**Tu nosti servum tuum**
**et scis quia nihil boni in se habet unde hoc illi praestes.**
**Confiteor igitur vilitatem meam -**
**agnosco tuam bonitatem, laudo pietatem,**
**et gratias ago propter nimiam caritatem.**
**Propter temet ipsum enim hoc facis - non propter mea merita,**
**ut bonitas tua mihi magis innotescat,**
**caritas amplior ingeratur et humilitas perfectius commendetur.**
**Quia ergo tibi hoc placet et tu sic fieri jussisti,**
**placet et mihi dignatio tua:**
**et utinam iniquitas mea non obsistat!**

**2. « O, dulcissime et benignissime Jesu,**
**quanta tibi reverentia et gratiarum actio cum perpetua laude**

pro susceptione sacri Corporis tui debetur,
cujus dignitatem nullus hominum explicare potens invenitur!
Sed quid cogitabo in hac communione
in accessu ad Dominum meum,
quem debite venerari nequeo
et tamen devote suscipere desidero?
Quid cogitabo melius et salubrius
nisi me ipsum totaliter humiliando coram te
et tuam infinitam bonitatem exaltando supra me?
Laudo te, Deus meus, et exalto in aeternum.
Despicio me et subicio tibi
in profundum vilitatis meae.

3. « Ecce, tu Sanctus sanctorum,
et ego sordes peccatorum:
Ecce, tu inclinas te ad me,
qui non sum dignus ad te respicere.
Ecce, tu venis ad me, tu vis esse mecum,
tu invitas ad convivium tuum,
tu mihi dare vis caelestem cibum et *panem angelorum ad man-*
*ducandum,* *(Ps 77 : 25)*
non alium sane quam te ipsum, panem vivum,
*qui de caelo descendisti et das vitam mundo*. *(Joh 6 : 33, 51)*

4. « Ecce unde dilectio procedit,
qualis dignatio illucescit!
Quam magnae gratiarum actiones et laudes
tibi pro his debentur!
O, quam salutare et utile consilium tuum
cum istud instituisti!
Quam suave et jucundum convivium
cum te ipsum in cibum donasti!
O, quam admirabilis operatio tua, Domine,
quam potens virtus tua, quam infallibilis veritas tua!
*Dixisti* enim et *facta sunt omnia:* *(Ps 148 : 5)*
et hoc factum es quod ipse jussisti.

5. « Mira res et fide digna ac humanum vincens intellectum,
quod tu, Domine Deus meus, verus Deus et homo,
sub modica specie panis et vini integer contineris
et sine consumptione a sumente manducaris.
Tu, Domine universorum, qui nullius habes indigentiam,
voluisti per Sacramentum tuum habitare in nobis:
conserva cor meum et corpus immaculatum,
ut laeta et pura conscientia saepius tua valeam celebrare mysteria
et ad meam perpetuam accipere salutem,
quae ad tuum praecipue honorem et memoriale perenne
sanxisti et instituisti.

6. « Laetare, anima mea, et gratias age Deo

**pro tam nobili munere et solatio singulari**
**in hac lacrymarum valle tibi relicto!**
**Nam quoties hoc mysterium recolis et Christi corpus accipis,**
**toties tuae redemptionis opus agis**
**et particeps omnium meritorum Christi efficeris.**
**Caritas etenim Christi nunquam minuitur**
**et magnitudo propitiationis ejus nunquam exhauritur.**
**Ideo nova semper mentis renovatione ad hoc disponere te debes**
**et magnum salutis mysterium attenta consideratione pensare.**
**Ita magnum, novum et jucundum tibi videri debet**
**cum celebras aut missam audis,**
**ac si eodem die Christus primum in uterum Virginis descendens**
**homo factus esset,**
**aut in cruce pendens**
**pro salute hominum pateretur et moreretur ».**

## Capitulum 3.
## Quod utile sit saepe communicare *audio: 18.02*

**Vox discipuli:**

**1. « Ecce, ego ad te venio, Domine,**
**ut bene mihi sit ex munere tuo**
**et laetificer in convivio sancto tuo**
***quod parasti in dulcedine tua pauperi*, Deus.** ***(Ps 68 : 11)***
**Ecce, in te est totum quod desiderare possum et debeo.**
**Tu salus mea et redemptio,**
**spes et fortitudo, decus et gloria.**
***Laetifica* ergo hodie *animam servi tui*,**
***quoniam ad te*, Domine Jesu, *animam meam levavi.*** ***(Ps 86 : 4)***
**Desidero te nunc devote ac reverenter suscipere,**
**cupio te in domum meam inducere,**
**quatenus cum Zachaeo merear a te benedici**
**ac inter filios Abrahae computari.**
**Anima mea Corpus tuum concupiscit,**
**cor meum tecum uniri desiderat.**

**2. « Trade te mihi, et sufficit:**
**nam praeter te nulla consolatio valet.**
**Sine te esse nequeo**
**et sine visitatione tua vivere non valeo.**
**Ideoque oportet me frequenter ad te accedere**
**et in remedium salutis meae recipere,**
***ne forte deficiam in via*** ***(Mt 15 : 32)***
**si fuero caelesti fraudatus alimonia.**
**Sic enim tu, misericordissime Jesu,**
**praedicans populis et varios curans languores,**
**aliquando dixisti:**
***« Nolo eos jejunos dimittere in domum suam***
***ne dificiant in via ».*** ***(Mt 15 : 32)***

Age igitur hoc mecum modo,
qui te pro fidelium consolatione in sacramento reliquisti.
Tu es enim suavis refectio animae,
et qui te digne manducaverit
particeps et haeres erit aeternae gloriae.

3. « Necessarium quidem mihi est, qui tam saepe labor et pecco,
tam cito torpesco et deficio,
ut per frequentes orationes et confessiones
ac sacram Corporis tui perceptionem
me renovem, mundem et accendam -
ne forte diutius abstinendo
a sancto proposito defluam.
*Proni enim sunt sensus hominis ad malum*
*ab adolescentia sua*, *(Gen 8 : 21)*
et nisi succurrat divina medicina
labitur homo mox ad pejora.
Retrahit ergo sancta communio a malo
et confortat in bono.
Si enim modo tam saepe negligens sum et tepidus
quando communico aut celebro,
quid fieret si medelam non sumerem
et tam grande juvamen non quaererem?
Et licet omni die non sim aptus
et ad celebrandum bene dispositus,
dabo tamen operam congruis temporibus
divina percipere mysteria
ac tantae gratiae participem me praebere.
Nam haec est una principalis fidelis animae consolatio
*quamdiu peregrinatur ad te in mortali corpore*, *(2Co 5 : 6)*
ut, saepius memor Dei sui,
Dilectum suum devota suscipiat mente.

4. « O, mira circa nos tuae pietatis dignatio:
quod tu, Domine Deus,
Creator et Vivificator omnium spirituum,
ad pauperculam dignaris venire animam
et cum tota divinitate tua ac humanitate
ejus impinguare esuriem!
O, felix mens et beata anima,
quae te, Dominum Deum suum, meretur devote suscipere
et in tua susceptione spirituali gaudio repleri!
O, quam magnum suscipit Dominum,
quam dilectum inducit hospitem!
Quam jucundum recipit socium,
quam fidelem acceptat amicum!
Quam speciosum et nobilem amplectitur sponsum,
prae omnibus dilectis et super omnia desiderabilia amandum!
Sileant a facie tua, dulcissime Dilecte meus, caelum et terra
et omnis ornatus eorum:

quoniam quidquid laudis habent ac decoris
ex dignatione tuae est largitatis,
nec ad decorem tui pervenient nominis,
*cujus sapientiae non est numerus* ». *(Ps 147 : 5)*

## Capitulum 4.
## Quod multa praestantur
## devote communicantibus *audio: 23.15*

Vox discipuli:

1. « Domine Deus meus,
*praeveni servum tuum in benedictione dulcedinis tuae*, *(Ps 21 : 4)*
ut ad tuum magnificum Sacramentum
digne ac devote merear accedere.
Excita cor meum in te
et a gravi torpore exue me.
*Visita me in salutari tuo* *(Ps 106 : 4)*
ad gustandum in spiritu sauvitatem tuam
quae in hoc Sacramento tanquam in fonte plenarie latet.
Illumina quoque oculos meos ad intuendum tantum mysterium
et ad credendum illud indubitata fide me robora.
Est enim operatio tua - non humana potentia:
tua sacra institutio - non hominis adinventio.
Non enim ad haec capienda et intelligenda
aliquis idoneus per se reperitur,
quae angelicam etiam subtilitatem transcendunt.
Quid ergo ego peccator indignus, terra et cinis,
de tam alto sacro secreto potero investigare et capere?

2. « Domine, in simplicitate cordis mei,
in bona firma fide et in tua jussione
ad te cum spe ac reverentia accedo.
Et vere credo quia tu praesens es hic in Sacramento
Deus et homo.
Vis ergo ut te suscipiam
et me ipsum tibi in caritate uniam.
Unde tuam precor clementiam
et specialem ad hoc imploro mihi donare gratiam,
ut totus in te liquefiam et amore pereffluam
atque de nulla aliena consolatione amplius me intromittam.
Est enim hoc altissimum et dignissimum Sacramentum,
salus animae et corporis,
medicina omnis spiritualis languoris
in quo vitia mea curantur, passiones fraenantur,
tentationes vincuntur aut minuuntur,
gratia major infunditur, virtus incepta augetur,
firmatur fides, spes roboratur,
et caritas ignescit ac dilatatur.

**3. « Multa namque bona largitus es,**
**et adhuc saepius largiris in Sacramento dilectis tuis devote communicantibus,**
**Deus meus, susceptor animae meae,**
**reparator infirmitatis humanae**
**et totius dator consolationis internae.**
**Nam multam ipsis consolationem adversus varias tribulationes infundis,**
**et de immo dejectionis propriae ad spem tuae protectionis erigis**
**atque nova quadam gratia eos intus recreas et illustras,**
**ut qui anxii primum et sine affectione se ante communionem senserant**
**postea refecti cibo potuque caelesti**
**in melius se mutatos inveniant.**
**Quod idcirco cum electis tuis dispensanter agis,**
**ut veraciter agnoscant et patenter experiantur**
**quantum infirmitatis ex se ipsis habeant**
**et quid bonitatis ac gratiae ex te consequantur:**
**quia, ex semet ipsis frigidi, duri et indevoti,**
**ex te autem ferventes, alacres et devoti esse merentur.**
**Quis enim ad fontem suavitatis humiliter accedens**
**non modicum suavitatis inde reportat?**
**Aut quis juxta copiosum ignem stans**
**non parum caloris inde percipit?**
**Et tu fons es semper plenus et super abundans,**
**ignis jugiter ardens et nunquam deficiens.**

**4. « Unde, si mihi non licet haurire de plenitudine fontis**
**nec usque ad satietatem potare,**
**apponam tamen os meum ad foramen caelestis fistulae**
**ut saltem modicam inde guttulam capiam**
**ad refocillandam sitim meam et non penitus exarescam.**
**Et si necdum totus caelestis et tam ignitus**
**ut cherubim et seraphim esse possum,**
**conabor tamen devotioni insistere et cor meum praeparare,**
**ut vel modicam divini incendii flammam**
**ex humili sumptione vivifici Sacramenti conquiram.**
**Quidquid autem mihi deest, Jesu bone, Salvator sanctissime,**
**tu pro me supple benigne ac gratiose,**
**qui omnes ad te dignatus es vocare, dicens:**
***« Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis,***
***et ego reficiam vos ».*** ***(Mt 11 : 28)***

**5. « Ego quidem laboro in sudore vultus mei,**
**dolore cordis torqueor, peccatis oneror, tentationibus inquietor,**
**multis malis passionibus implicor et premor -**
**et non est qui adjuvet,**
**non est qui liberet et salvum faciat**
**nisi tu, Domine Deus, Salvator meus,**
**cui committo me et omnia mea**

ut me custodias et perducas in vitam aeternam.
Suscipe me in laudem et gloriam nominis tui,
qui Corpus tuum et Sanguinem in cibum et potum mihi parasti.
Praesta, Domine Deus salutaris meus,
ut cum frequentatione mysterii tui
crescat meae devotionis affectus ».

## Capitulum 5.
## De dignitate Sacramenti
## et statu sacerdotali *audio: 29.43*

Vox Dilecti:

1. « Si haberes angelicam puritatem
et sancti Johannis Baptistae sanctitatem,
non esses dignus hoc Sacramentum accipere nec tractare.
Non enim hoc meritis debetur hominum
quod homo consecret et tractet Christi sacramentum
et sumat in cibum panem angelorum.
Grande mysterium et magna dignitas sacerdotum,
quibus datum est quod angelis non est concessum!
Soli namque sacerdotes rite in Ecclesia ordinati
potestatem habent celebrandi et Corpus Christi consecrandi:
sacerdos quidem minister est Dei,
utens verbo Dei per jussionem et institutionem Dei.
Deus autem ibi principalis est auctor et invisibilis operator,
cui subest omne quod voluerit
et paret omne quod jusserit.

2. « Plus ergo credere debes Deo omnipotenti
in hoc excellentissimo Sacramento
quam proprio sensui aut aliqui signo visibili.
Ideoque cum timore et reverentia ad hoc opus est accedendum.
Attende tibi et vide cujus ministerium tibi traditum est
per impositionem manus episcopi.
Ecce sacerdos factus es et ad celebrandum consecratus:
vide nunc ut fideliter et devote
in suo tempore Deo sacrificum offeras,
et te ipsum irreprehensibilem exhibeas.
Non alleviasti onus tuum,
sed arctiori jam alligatus es vinculo disciplinae
et ad majorem teneris perfectionem sanctitatis.
Sacerdos omnibus virtutibus debet esse ornatus
et aliis bonae vitae exemplum praebere.
Ejus conversatio non cum popularibus et communibus hominum viis,
sed cum angelis in caelo aut cum perfectis viris in terra.

3. « Sacerdos sacris vestibus indutus Christi vices gerit
ut Deum pro se et pro omni populo suppliciter et humiliter roget:

habet ante se et retro dominicae crucis signum
ad memorandam jugiter Christi passionem.
Ante se crucem in casula portat
ut Christi vestigia diligenter inspiciat
et sequi ferventer studeat.
Post se cruce signatus est
ut adversa quaelibet ab aliis illata clementer pro Deo toleret.
Ante se crucem gerit ut propria peccata lugeat -
post se, ut aliorum etiam commissa per compassionem defleat
et se medium inter Deum et peccatorem constitutum esse sciat,
nec ab oratione et oblatione sancta torpescat
donec gratiam et misericordiam impetrare mereatur.
Quando sacerdos celebrat
Deum honorat, angelos laetificat, Ecclesiam aedificat,
vivos adjuvat, defunctis requiem praestat,
et sese omnium bonorum participem efficit ».

## Capitulum 6.
## Interrogatio de exercitio ante communionem *audio: 00.13*

Vox discipuli:

1. « Cum tuam dignitatem, Domine, et meam vilitatem penso,
valde contremisco et in me ipso confundor.
Si enim non accedo, vitam fugio -
et si indigne me ingessero, offensam incurro.
Quid ergo faciam, Deus meus,
auxiliator meus et consiliator in necessitatibus?

2. « Tu doce me viam rectam,
propone breve aliquod exercitium sacrae communioni congruum.
Utile est enim scire qualiter scilicet devote ac reverenter
tibi praeparare debeam cor meum
ad recipiendum salubriter tuum Sacramentum,
seu etiam celebrandum tam magnum et divinum sacrificium ».

## Capitulum 7.
## De discussione propriae conscientiae
## et emendationis proposito *audio: 00.12*

Vox Dilecti:

1. « Super omnia,
cum summa humilitate cordis et supplici reverentia,
cum plena fide et pia intentione honoris Dei,
ad hoc Sacramentum celebrandum, tractandum et sumendum,
oportet Dei accedere sacerdotem.
Diligenter examina conscientiam tuam
et pro posse tuo vera contritione et humili confessione
eam munda et clarifica,

ita ut nil grave habeas aut scias quod te remordeat
et liberum accessum impediat.
Habeas displicentiam omnium peccatorum tuorum in generali
et pro quotidianis excessibus magis in speciali doleas et gemas.
Et, si tempus patitur, Deo in secreto cordis
cunctas confidere passionum tuarum miserias.

2. « Ingemisce et dole
quod adhuc ita carnalis sis et mundanus:
tam immortificatus a passionibus,
tam plenus concupiscentiarum motibus,
tam incustoditus in sensibus exterioribus,
tam saepe multis vanis phantasiis implicatus,
tam multum inclinatus ad exteriora,
tam negligens ad interiora;
tam levis ad risum et dissolutionem,
tam durus ad fletum et compunctionem;
tam promtus ad laxiora et carnis commoda,
tam segnis ad rigorem et fervorem,
tam curiosus ad nova audienda et pulchra intuenda,
tam remissus ad humilia et abjecta amplectenda;
tam cupidus ad multa habenda,
tam parcus ad dandum, tam tenax ad retinendum;
tam inconsideratus in loquendo, tam incontinens in tacendum;
tam incompositus in moribus, tam importunus in actibus;
tam effusus super cibum, tam surdus ad Dei verbum;
tam velox ad quietem, tam tardus ad laborem;
tam vigilans ad fabulas, tam somnolentus ad vigilias sacras;
tam festinus ad finem, tam vagus ad attendendum;
tam negligens in Horis persolvendis,
tam tepidus in celebrando, tam aridus in communicando;
tam cito distractus, tam raro plene tibi collectus;
tam subito commotus ad iram, tam facilis ad alterius displicentiam,
tam pronus ad judicandum, tam rigidus ad arguendum;
tam laetus ad prospera, tam debilis in adversis;
tam saepe multa bona proponens -
et modicum ad effectum perducens!

3. « His et aliis defectibus tuis
cum dolore et magna displicentia propriae infirmitatis
confessis ac deploratis,
firmum statue propositum semper emendandi vitam tuam
et in melius proficiendi.
Deinde cum plena resignatione et integra voluntate
offer te ipsum in honorem nominis mei
in ara cordis tui holocaustum perpetuum:
corpus tuum scilicet et animam mihi fideliter commitendo,
quatenus et sic digne merearis ad offerendum Deo sacrificium ac-
cedere
et Sacramentum Corporis mei salubriter suscipere.

**4. « Non est enim oblatio dignior et satisfacio major**
**pro peccatis diluendis**
**quam se ipsum pure et integre cum oblatione Corporis Christi**
**in missa et in communione Deo offerre.**
**Si fecerit homo quod in se est et vere pœnituerit**
**quotiescumque pro venia et gratia ad me accesserit,**
***« Vivo ego*, dicit Dominus, *qui nolo mortem peccatoris***
***sed magis ut convertatur et vivat -*** ***(Ez 33 : 11)***
**quoniam *peccatorum suorum non recordabor amplius*** ***(Heb 10 : 17)***
**sed cuncta sibi indulta erunt ».**

## Capitulum 8.
## De oblatione Christi in cruce,
## et propria resignatione *audio: 06.02*

**Vox Dilecti:**

**1. « Sicut ego me ipsum,**
**expansis in cruce manibus et nudo corpore,**
**pro peccatis tuis Deo Patri sponte obtuli**
**ita ut nihil in me remaneret quin totum in sacrificium divi-**
**nae placationis transierit -**
**ita debes et tu temet ipsum mihi voluntarie**
**in oblationem puram et sanctam**
**quotidie in missa cum omnibus viribus et affectibus tuis,**
**quanto intimus vales, offere.**
**Quid magis a te requiro**
**quam ut te studeas mihi ex integro resignare?**
**Quidquid praeter te ipsum das, nihil curo:**
**quia non quaero datum tuum, sed te.**

**2. « Sicut non sufficeret tibi omnibus habitis praeter me,**
**ita nec mihi placere poterit quidquid dederis te non oblato.**
**Offer te mihi, et da te totum pro Deo -**
**et erit accepta oblatio.**
**Ecce ego me totum obtuli Patri pro te,**
**dedi etiam totum corpus meum et sanguinem in cibum,**
**ut totus tuus essem et tu meus permaneres.**
**Si autem in teipso steteris**
**nec sponte te ad voluntatem meam obtuleris,**
**non est plena oblatio, nec integra erit inter nos unio.**
**Igitur omnia opera tua praecedere debet spontanea tui ipsius**
**in manus Dei oblatio,**
**si libertatem consequi vis et gratiam.**
**Ideo enim tam pauci illuminati et liberi intus efficiuntur,**
**quia se ipsos ex toto abnegare nesciunt.**
**Est firma sententia mea:**
***« Nisi quis renunciaverit omnibus***
***non potest meus esse discipulus ».*** ***(Lc 14 : 33)***

Tu ergo si optas meus esse discipulus,
offer te ipsum mihi cum omnibus affectibus tuis ».

## Capitulum 9.
## Quod nos et omnia nostra Deo debemus offerre, et pro omnibus orare *audio: 08.30*

Vox discipuli:

1. « Domine, *omnia tua sunt*
*quae in caelo sunt et quae in terra.* *(1Chr 29 : 11)*
Desidero me ipsum tibi in spontaneam oblationem offerre
et tuus perpetuo permanere.
Domine, *in simplicitate cordis mei* *(1Chr 29 : 17)*
*offero* me ipsum tibi hodie in servum sempiternum,
in obsequium et in sacrificium laudis perpetuae.
Suscipe me cum hac sancta oblatione tui praetiosi corporis
quam tibi hodie in praesentia angelorum invisibiliter assistentium offero,
ut sit pro me et pro cuncto populo tuo in salutem.

2. « Domine, offero tibi omnia peccata et delicta mea
quae commisi coram te et sanctis angelis tuis
a die quo primum peccare potui usque horam hanc
*super placabili altari tuo:* *(Es 60 : 7)*
ut tu omnia pariter incendas et comburas igne caritatis tuae,
et deleas universas maculas peccatorum meorum
et conscientiam meam ab omni delicto emundes,
et restituas mihi gratiam tuam quam peccando amisi,
omnia mihi plene indulgendo
et in osculum pacis me misericorditer assumendo.

3. « Quid possum agere pro peccatis meis
nisi humiliter ea confitendo et lamentando
et tuam propitiationem incessanter deprecando?
Deprecor te, exaudi me propitius
ubi adsto coram te, Deus meus.
Omnia peccata mea mihi maxime displicent:
nolo ea unquam amplius perpetrare
sed pro eis doleo et dolebo quamdiu vixero,
paratus pœnitentiam agere et pro posse satisfacere.
Dimitte mihi, Deus, dimitte mihi peccata mea,
propter nomen sanctum tuum!
Salva animam meam
quam praetioso sanguine tuo redemisti.
Ecce committo me misericordiae tuae,
resigno me manibus tuis:
*age mecum secundum bonitatem tuam,* *(Ps 119 : 124)*
*non secundum meam malitiam et iniquitatem.* *(Ps 103 : 10)*

4. « Offero etiam tibi omnia bona mea -
quamvis valde pauca et imperfecta,
ut tu ea emendes et sanctifices,
ut ea grata habeas et accepta tibi facias
et semper ad meliora trahas,
nec non ad beatum ac laudabilem finem
me pigrum et inutilem homuncionem perducas.

5. « Offero quoque tibi omnia pia desideria devotorum,
necessitates parentum, amicorum, fratrum, sororum,
omniumque carorum meorum,
et eorum qui mihi vel aliis propter amorem tuum benefecerunt,
et qui orationes et missas pro se suisque omnibus dici a me
desideraverunt et petierunt,
sive in carne adhuc vivant sive jam saeculo defuncti sint,
ut omnes sibi auxilium gratiae tuae
- opem consolationis, protectionem a periculis,
liberationem a pœnis - advenire sentiant;
et ut, ab omnibus malis erepti,
gratias tibi magnificas laeti persolvant.

6. « Offero etiam tibi preces et hostias placationis
pro illis specialiter qui me in aliquo laeserunt,
contristaverunt aut vituperaverunt
vel aliquod damnum vel gravamen intulerunt,
pro his quoque omnibus quos aliquando contristavi,
conturbavi, gravavi, et scandalizavi,
verbis, factis, scienter et ignoranter,
ut nobis omnibus pariter indulgeas peccata nostra
et mutuas offensiones.
Aufer, Domine, a cordibus nostris omnem suspicionem,
indignationem, iram et deceptionem
et quidquid potest caritatem laedere
et fraternam dilectionem minuere.
Miserere, miserere, Domine, misericordiam tuam poscentibus,
da gratiam indigentibus,
et fac nos tales existere ut simus digni gratia tua perfrui
et ad vitam proficiamus aeternam ».
Amen

## Capitulum 10.
## Quod sacra communio
## de facili non est reliquenda *audio: 13.28*

Vox Dilecti:

1. « Frequenter recurrendum est ad fontem gratiae et divinae mi-
sericordiae,
ad fontem bonitatis et totius puritatis,
quatenus a passionibus tuis et vitiis curare valeas

**et contra universas tentationes et fallacias diaboli**
**fortior atque vigilantior effici merearis.**
**Inimicus, sciens fructum et remedium maximum in sacra communione positum,**
**omni modo et occasione nititur fideles et devotos,**
**quantum praevalet, retrahere et impedire.**

**2. « Cum enim quidam sacrae communioni se aptare disponunt,**
**pejores Satanae immissiones patiuntur.**
**Ipse namque Spiritus - ut in Job scribitur -**
***venit inter filios Dei*** ***(Jb 1 :7)***
**ut solita illos nequitia sua perturbet**
**aut timidos nimium reddat et perplexos,**
**quatenus affectus eorum minuat**
**vel fidem impugnando auferat -**
**si forte aut omnino communionem relinquant**
**aut cum tepore accedant.**
**Sed non est quidquam curandum de versutiis et phantasiis illius**
**quantumlibet turpibus et horrendis,**
**sed cuncta phantasmata in caput ejus sunt retorquenda.**
**Contemnendus est miser et deridendus,**
**nec propter insultus ejus et commotiones quas suscitat,**
**sacra est omittenda communio.**

**3. « Saepe etiam impedit nimia sollicitudo pro devotione habenda**
**et anxietas quaedam de confessione facienda.**
**Age secundum consilium sapientum**
**et depone anxietatem et scrupulum,**
**quia gratiam Dei impedit et devotionem mentis destruit.**
**Propter aliquam parvam turbationem vel gravitatem**
**sacram ne dimittas communionem -**
**sed vade citius confiteri**
**et omnes offensiones aliis libenter indulge.**
**Si vero tu aliquem offendisti,**
**veniam humiliter precare:**
**et Deus libenter indulgebit tibi.**

**4. « Quid prodest diu tardare confessionem**
**aut sacram differre communionem?**
**Expurga te cumprimis, exspue velociter venenum,**
**festina accipere remedium,**
**et senties melius quam si diu distuleris.**
**Si hodie propter istud dimittis**
**cras forsitan aliud majus eveniet,**
**et sic diu posses a communione impediri**
**et magis ineptus fieri.**
**Quanto citius vales, a praesenti gravitate et inertia te excutias,**
**quia nihil importat diu anxiari, diu cum tribulatione transire**
**et ob quotidiana obstacula se a divinis sequestrare.**

Immo plurimum nocet diu communionem protelare:
nam et gravem torporem consuevit inducere.
Proh dolor! quidam tepidi et dissoluti
moras confitendi libenter accipiunt,
et communionem sacram idcirco differre cupiunt
ne ad majorem sui custodiam se dare teneantur.

5. « Heu, quam modicam caritatem et debilem devotio-
nem habent,
qui sacram communionem tam faciliter postponunt!
Quam felix ille et Deo acceptus habetur
qui sic vivit et in tali puritate conscientiam suam custodit,
ut etiam omni die communicare paratus
et bene affectatus esset,
si ei liceret et sine nota agere posset!
Si quis interdum abstinet humilitatis gratia
aut legitima impediente causa,
laudandus est de reverentia -
si autem torpor obrepserit
se ipsum excitare debet et facere quod in se est,
et Dominus aderit desiderio suo pro bona voluntate
quam specialiter respicit.

6. « Cum vero legitime praepeditus est,
habebit semper bonam voluntatem
et piam intentionem communicandi:
et sic non carebit fructu sacramenti.
Potest enim quilibet devotus omni die et omni hora
ad spiritualem Christi communionem salubriter et sine prohi-
bitione accedere.
Et tamen certis diebus et statuto tempore
corpus sui Redemptoris cum affectuosa reverentia
sacramentaliter debet suscipere,
et magis laudem Dei et honorem praetendere
quam suam consolationem quaerere.
Nam toties mystice communicat et invisibiliter reficitur,
quoties incarnationis Christi mysterium passionemque
devote recolit,
et in amorem ejus accenditur.

7. « Qui aliter se non praeparat
nisi instante festo vel consuetudine compellente,
saepius imparatus erit.
Beatus qui se Domino in holocaustum offert
quoties celebrat aut communicat!
Non sis in celebrando nimis prolixus aut festinus,
sed serva bonum communem modum cum quibus vivis.
Non debes aliis generare molestiam et taedium,
sed communem servare viam secundum majorum institutionem,
et potius aliorum servire utilitati

quam propriae devotioni vel affectui ».

## Capitulum 11.
## Quod Corpus Christi et sacra Scriptura maxime sint animae fideli necessaria *audio: 19.42*

Vox discipuli:

1. « O dulcissime Domine Jesu,
quanta est dulcedo devotae animae tecum epulantis in convivio tuo,
ubi ei non alius cibus manducandus proponitur
nisi tu unicus Dilectus ejus,
super omnia desideria cordis ejus desiderabilis!
Et mihi quidem dulce foret in praesentia tua
ex intimo affectu lacrymas fundere,
et cum pia Magdalena pedes tuos lacrymis irrigare.
Sed ubi est haec devotio,
ubi lacrymarum sanctarum copiosa effusio?
Certe in conspectu tuo et sanctorum angelorum tuorum
totum cor meum ardere deberet
et ex gaudio flere.
Habeo enim te in Sacramento vere praesentem,
quamvis aliena specie occultatum.

2. « Nam in propria et divina claritate te conspicere
oculi mei ferre non possent -
sed neque totus mundus in fulgore gloriae majestatis tuae subsisteret.
In hoc ergo imbecillitati meae consulis
quod te sub Sacramento abscondis.
Habeo vere et adoro quem angeli adorant in caelo -
sed ego adhuc interim in fide,
illi autem in specie et sine velamine.
Me oportet contentum esse in lumine verae fidei
et in ea ambulare,
donec *aspiret dies* aeternae claritatis,
*et umbrae* figurarum *inclinentur.* *(Cant 2 : 17)*
*Cum autem venerit quod perfectum est* *(1Co 13 : 10)*
cessabit usus sacramentorum,
quia beati in gloria caelesti non egent medicamine sacramentali.
Gaudent enim sine fine in praesentia Dei,
facie ad faciem gloriam ejus speculantes,
et *de claritate in claritatem* abyssalis Deitatis *transformati*, *(2Co 3 : 18)*
gustant verbum Dei carnem factum
sicut fuit ab initio et manet in aeternum.

3. « Memor horum mirabilium,
grave mihi fit taedium, etiam quodlibet spirituale solatium:
quia, quamdiu Dominum meum aperte in sua gloria non video,

pro nihilo duco omne quod in mundo conspicio et audio.
Testis es tu, mi Deus,
quod nulla res me potest consolari, nulla creatura quietare
nisi tu, Deus meus,
quem desidero aeternaliter contemplari.
Sed non est hoc possibile durante me in hac mortalitate:
ideo oportet ut me ponam ad magnam patientiam
et me ipsum in omni desiderio tibi submittam.
Nam et sancti tui, Domine,
qui tecum jam in regno caelorum exultant
in fide et patientia magna
dum viverent adventum gloriae tuae expectabant.
Quod illi crediderunt, ego credo;
quod illi speraverunt, ego spero;
quo illi pervenerunt, per gratiam tuam me venturum confido.
Ambulabo interim in fide,
exemplis confortatus sanctorum.
Habeo etiam libros sanctos pro solatio et vitae speculo -
atque super haec omnia sanctissimum Corpus tuum
pro singulari remedio et refugio.

4. « Duo namque mihi necessaria permaxime sentio in hac vita,
sine quibus mihi importabilis foret ista miserabilis vitia.
In carcere corporis hujus detentus
duobus me egere fateor:
cibo scilicet et lumine.
Dedisti itaque mihi infirmo sacrum Corpus tuum
ad refectionem mentis et corporis,
et posuisti *lucernam pedibus meis verbum tuum*. *(Ps 119 : 105)*
Sine his duobus bene vivere non possem:
nam verbum Dei lux animae meae
et Sacramentum tuum panis vitae.
Haec possunt etiam dici mensae duae
hinc et inde in gazophylacio sanctae Ecclesiae positae.
Una mensa est sacri altaris, habens panem sanctum,
id est Corpus Christi praetiosum.
Altera est divinae legis continens doctrinam sanctam,
erudiens fidem rectam
et firmiter usque ad interiora velaminis ubi sunt sancta sancto-
rum perducens.

5. « Gratias tibi, Domine Jesu, Lux Lucis aeternae,
pro doctrinae sacrae mensa,
quam nobis per servos tuos prophetas et apostolos
aliosque doctores ministrasti.
Gratias tibi, Creator et Redemptor hominum,
qui ad declarandam toti mundo caritatem tuam cœnam pa-
rasti magnam,
in qua non agnum typicum sed tuum sanctissimum corpus et san-
guinem
proposuisti manducandum:

laetificans omnes fideles convivio sacro
et calice inebrians salutari
in quo sunt omnes deliciae Paradisi
et epulantur nobiscum angeli sancti -
sed suavitate feliciori.

6. « O, quam magnum et honorabile est officium sacerdotum,
quibus datum est Dominum majestatis verbis sacris consecrare,
labiis benedicere, manibus tenere,
ore proprio sumere, et caeteris ministrare!
O, quam mundae debent esse manus illae,
quam purum os, quam sanctum corpus,
quam immaculatum cor sacerdotis,
ad quem toties ingreditur Auctor puritatis!
Ex ore sacerdotis nihil nisi sanctum, nihil nisi honestum et utile
procedere debet verbum,
qui tam saepe Christi accipit Sacramentum.
Oculi ejus simplices et pudici esse debent
qui Christi Corpus solent intueri,
manus purae et in caelum elevatae
quae Creatorem caeli et terrae solent contractare.
Sacerdotibus specialiter in lege dicitur:
*« Sancti estote, quoniam ego sanctus sum,* *(Lev 1 9 : 2)*
Dominus Deus vester ».

7. « Adjuvet nos gratia tua, omnipotens Deus,
ut qui officium sacerdotale suscepimus
digne ac devote tibi in omni puritate et conscientia bona
famulari valeamus.
Et si non possumus in tanta innocentia vitae conversari ut de-
bemus,
concede nobis tamen digne flere mala quae gessimus
et in spiritu humilitatis ac bonae voluntatis proposito
tibi ferventius de caetero deservire ».

## Capitulum 12.
## Quod magna diligentia
## se debeat communicaturus Christo praeparare *audio: 27.52*

Vox Dilecti:

1. « Ego sum puritatis amator et dator omnis sanctitatis.
Ego cor purum quaero
et ibi est *locus requietionis meae.* *(Es 66 : 1)*
Para mihi *cœnaculum grande stratum*
*et faciam apud te pascha cum discipulis meis.* *(Mc 14 : 14)*
Si vis ut veniam ad te et apud te maneam,
*expurga vetus fermentum* *(1Co 5 : 7)*
et munda cordis tui habitaculum.
Exclude totum saeculum et omnem vitiorum tumultum.

**Sede *tamquam passer solitarius in tecto*** ***(Ps 102 : 8)***
**et cogita excessus tuos in amaritudine animae tuae.**
**Omnis namque amans suo dilecto amatori optimum et pulcherrimum praeparat locum,**
**quia in hoc cognoscitur affectus suscipientis dilectum.**

**2. « Scito tamen te non posse satisfacere huic praeparationi**
**ex merito tuae actionis -**
**etiamsi per integrum annum te praeparares**
**et nihil aliud in mente haberes.**
**Sed ex sola pietate et gratia mea**
**permitteris ad mensam meam accedere,**
**ac si mendicus ad prandium vocetur divitis**
**et ille nihil aliud habeat ad retribuendem beneficiis ejus**
**nisi se humiliando et ei regratiando.**
**Fac quod in te est - et diligenter facito,**
**non ex consuetudine, non ex necessitate,**
**sed cum timore et reverentia et affectu**
**accipe Corpus dilecti Domini Dei tui**
**dignantis ad te venire.**
**Ego sum qui vocavi, ego jussi fieri,**
**ego supplebo quod tibi deest:**
**Veni et suscipe me.**

**3. « Cum gratiam devotionis tribuo**
**gratias age Deo tuo -**
**non quia dignus es sed quia tui misertus sum.**
**Si non habes, sed magis aridum te sentis,**
**insiste orationi, ingemisce et pulsa,**
**nec desistas donec merearis micam aut guttam gratiae salutaris accipere.**
**Tu mei indiges - non ego tui indigeo,**
**nec tu me sanctificare venis**
**sed ego te sanctificare et meliorare venio.**
**Tu venis ut ex me sanctificeris et mihi uniaris,**
**ut novam gratiam recipias**
**et de novo ad emendationem accendaris.**
**Noli negligere hanc gratiam,**
**sed praepara cum omni diligentia cor tuum**
**et introduc ad te Dilectum tuum.**

**4. « Oportet autem ut non solum te praepares ad devotionem ante communionem,**
**sed ut etiam te sollicite conserves in ea post Sacramenti perceptionem.**
**Nec minor custodia post exigitur**
**quam devota praeparatio prius.**
**Nam bona postmodum custodia optima iterum est praeparatio**
**ad majorem gratiam consequendam.**
**Ex eo quippe valde indispositus quis redditur**

si statim fuerit nimis effusus ad exteriora solatia.
Cave a multiloquio, mane in secreto
et fruere Deo tuo.
Ipsum enim habes quem totus mundus tibi auferre non potest.
Ego sum cui te totum dare debes,
ita ut jam ultra non in te, sed in me
absque omni sollicitudine vivas.

## Capitulum 13.
## Quod toto corde anima devota
## Christi unionem in Sacramento affectare debet *audio: 00.10*

Vox discipuli:

1. « Quis mihi det, Domine, ut inveniam te solum,
et aperiam tibi totum cor meum
et fruar te sicut desiderat anima mea,
et jam me nemo despiciat
nec ulla creatura me moveat vel respiciat -
sed tu solus mihi loquaris, et ego tibi
sicut solet dilectus ad dilectum loqui
et amicus cum amico convivari?
Hoc oro, hoc desidero: ut tibi totus uniar
et cor meum ab omnibus creatis rebus abstraham,
magisque per sacram communionem ac frequentem cele-
brationem
caelestia et aeterna sapere discam.
Ah, Domine Deus,
quando ero tecum totus unitus et absorptus,
meique totaliter oblitus?
Tu in me et ego in te! -
et sic nos pariter in unum manere concede.

2. « Vere tu es *dilectus meus, electus ex millibus*, *(Cant 5 : 10)*
in quo complacuit animae meae habitare
omnibus diebus vitae suae.
Vere tu es pacificus meus in quo pax summa et requies vera,
extra quem labor et dolor et infinita miseria.
*Vere tu es Deus absconditus*, *(Es 45 : 15)*
et consilium tuum non est cum impiis
*sed cum humilibus et simplicibus sermo tuus.* *(Prov 3 : 32)*
O, quam suavis est, Domine, spiritus tuus,
qui, ut dulcedinem tuam in filios demonstrares,
pane suavissimo de caelo descendente illos reficere dignaris!
Vere *non est alia natio tam grandis*
*quae habeat deos appropinquantes sibi*
*sicut tu, Deus noster, ades* universis fidelibus tuis: *(Deut 4 : 7-8)*
quibus, ob quotidianum solatium et cor erigendum in caelum,
te tribuis ad edendum et fruendum.

3. « Quae est enim alia gens tam inclyta sicut plebs Christiana?

Aut quae creatura sub caelo tam dilecta ut anima devota,
ad quam ingreditur Deus
ut pascat eam carne sua gloriosa?
O ineffabilis gratia, o admirabilis dignatio!
O, amor immensus, homini singulariter impensus!
Sed quid retribuam Domino pro gratia ista,
pro caritate tam eximia?
Non est aliud quod gratius donare queam
quam ut cor meum Deo meo totaliter tribuam
et intime conjungam.
Tunc exultabunt omnia interiora mea
cum perfecte fuerit unita Deo anima mea.
Tunc dicet mihi: « Si tu vis esse mecum,
ego volo esse tecum ».
Et ego respondebo illi:
« Dignare, Domine, manere mecum,
ego volo libenter esse tecum!
Hoc est totum desiderium meum:
ut cor meum tibi sit unitum ».

## Capitulum 14.
## De quorundam devotorum ardenti desiderio ad Corpus Christi *audio: 03.59*

Vox discipuli:

1. *O, quam magna multitudo dulcedinis tuae,* Domine*,*
*quam abscondisti timentibus te!* *(Ps 31 : 20)*
Quando recordor devotorum aliquorum ad Sacramentum tuum, Domine,
cum maxima devotione et affectu accendentium,
tunc saepius in me ipso confundor et erubesco,
quod ad altare tuum et sacrae communionis mensam
tam tepide et frigide accedo,
quod ita aridus et sine affectione cordis maneo,
quod non sum totaliter accensus coram te, Deo meo,
nec ita vehementer attractus et affectus sicut multi devoti fuerunt,
qui prae nimio desiderio communionis et sensibili cordis amore
a fletu se non potuerunt continere,
sed ore cordis et corporis pariter
ad te Deum, fontem vivum, medullitus inhiabant,
suam esuriem non valentes aliter temperare nec satiare
nisi Corpus tuum cum omni jucunditate et spirituali aviditate accepissent.

2. « O, vere ardens fides eorum,
probabile existens argumentum sacrae praesentiae tuae!
Isti enim *veraciter cognoscunt* Dominum suum *in fractione panis,* *(Lc 24 : 32)*
quorum cor tam valide *ardet in eis*

de Jesu ambulante cum eis. *(Lc 24 : 35)*
Longe est a me saepe talis affectus et devotio,
tam vehemens amor et ardor.
Esto mihi propitius, Jesu bone, dulcis et benigne,
et concede pauperi mendico tuo vel interdum modicum
de cordiali affectu amoris tui in sacra communione sentire,
ut fides mea magis convalescat, spes in bonitate tua proficiat,
et caritas, semel perfecte accensa et caeleste manna experta,
nunquam deficiat.

3. « Potens est autem misericordia tua etiam gratiam desideratam mihi praestare,
et in spiritu ardoris, cum dies beneplaciti tui venerit,
me clementissime visitare.
Etenim, licet tanto desiderio tam specialium devotorum tuorum non ardeo,
tamen de gratia tua illius magni inflamati desiderii desiderium habeo:
orans et desiderans omnium talium fervidorum amatorum tuorum participem me fieri,
ac eorum sancto consortio annumerari ».

## Capitulum 15.
### Quod gratia devotionis humilitate et sui ipsius abnegatione acquiritur *audio: 07.11*

Vox Dilecti:

1. « Oportet te devotionis gratiam instanter quaerere,
desideranter petere, patienter et fiducialiter exspectare,
gratanter recipere, humiliter conservare,
studiose cum ea operari
ac Deo terminum et modum supernae visitationis,
donec veniat, committere.
Humiliare praecipue te debes
cum parum aut nihil devotionis interius sentis -
sed non nimium dejici nec inordinate contristari.
Dat saepe Deus in uno brevi momento
quod longo negavit tempore.
Dat quandoque in fine
quod in principio orationis distulit dare.

2. « Si semper cito gratia daretur et pro voto adesset,
non esset infirmo homini bene portabile.
Propterea in bona spe et humili patientia exspectanda est devotionis gratia.
Tibi tamen et peccatis tuis imputa
cum non datur vel etiam occulte tolitur.
Modicum quandoque est quod gratiam impedit et abscondit -
si tamen modicum et non potius grande dici debeat
quod tantum bonum prohibet.

Et si hoc ipsum modicum vel grande amoveris et perfecte viceris,
erit quod petiisti.

3. « Statim namque ut te Deo ex toto corde tradideris,
nec hoc vel illud pro tuo libitu seu velle quaesieris
sed integre te in illo posueris,
unitum te invenies et pacatum:
quia nihil ita tibi sapiet et placebit sicut beneplacitum divinae voluntatis.
Quisquis ergo intentionem suam simplici corde sursum ad Deum levaverit
seque ab omni inordinato amore seu displicentia cujuslibet rei creatae evacuaverit,
aptissimus gratiae percipiendae ac dignus devotionis munere erit.
Dat enim Dominus ibi benedictionem suam ubi vasa vacua invenerit,
et quanto perfectius infimis quis renunciat
et magis sibi ipsi per contemptum sui moritur,
tanto gratia celerius venit, copiosius intrat,
et altius liberum cor elevat.

4. « *Tunc videbit et affluet*
*et mirabitur et dilatabitur cor ejus in ipso*, *(Es 60 : 5)*
quia manus Domini cum eo
et ipse se posuit totaliter in manu ejus usque in saeculum.
Ecce sic benedicetur homo qui quaerit Deum in toto corde suo
nec in vanum accipit animam suam.
Hic in accipiendo sacram Eucharistiam
magnam promeretur divinae unionis gratiam,
quia non respicit ad propriam devotionem et consolationem
sed super omnem devotionem et consolationem
ad Dei gloriam et honorem ».

## Capitulum 16.
## Quod necessitates nostras Christo aperire et ejus gratiam postulare debemus *audio: 10.47*

Vox discipuli:

1. « O, dulcissime atque amantissime Domine,
quem nunc devote desidero suscipere,
tu scis infirmitatem meam et necessitatem quam patior,
in quantis malis et vitiis jaceo -
quam saepe sum gravatus, tentatus,
turbatus et inquinatus.
Pro remedio ad te venio,
pro consolatione et sublevamine te deprecor.
Ad omnia scientem loquor
cui manifesta sunt omnia interiora mea,
et qui solus potes me perfecte consolare et adjuvare.
Tu scis quibus bonis indigeo prae omnibus

et quam pauper sum in virtutibus.

2. « Ecce, sto ante te pauper et nudus,
gratiam postulans et misericordiam implorans:
refice esurientem mendicum tuum,
accende frigiditatem meam igne amoris tui,
illumina caecitatem meam claritate praesentiae tuae.
Verte mihi omnia terrena in amaritudinem,
omnia gravia et contraria in patientiam,
omnia infima et creata in contemptum et oblivionem.
Erige cor meum ad te in caelum
et ne dimittas me vagari super terram.
Tu solus mihi ex hoc jam dulcescas usque in saeculum,
quia tu solus cibus et potus meus,
amor meus et gaudium meum,
dulcedo mea et totum bonum meum.

3. « Utinam me totaliter ex tua praesentia accendas, comburas,
et in te transmutes:
ut unus tecum efficiar spiritus per gratiam internae unionis
et liquefactionem ardentis amoris!
Ne patiaris me jejunum et aridum a te recedere
sed operare mecum misericorditer,
sicut saepius operatus es cum sanctis tuis mirabiliter.
Quid mirum si totus ex te ignescerem et in me ipso deficerem,
cum tu sis ignis semper ardens et nunquam deficiens,
amor corda purificans et intellectum illuminans! »

## Capitulum 17.
## De ardenti amore
## et vehementi affectu suscipiendi Christum *audio: 13.32*

Vox discipuli:

1. « Cum summa devotione et ardenti amore,
cum toto cordis affectu et fervore desidero te, Domine, suscipere,
quemadmodum multi sancti et devotae personae in communicando te desideraverunt,
qui tibi maxime in sanctitate vitae placuerunt
et in ardentissima devotione fuerunt.
O Deus meus, amor aeternus,
totum bonum meum, felicitas interminabilis,
cupio te suscipere cum vehementissimo desiderio et dignissima reverentia,
quam aliquis sanctorum unquam habuit
et sentire potuit!

2. « Et licet indignus sum omnia illa sentimenta devotionis habere,
tamen offero tibi totum cordis mei affectum,
ac si omnia illa gratissime inflammata desideria solus haberem.

Sed et quaecumque potest pia mens concipere et desiderare,
haec omnia tibi cum summa veneratione et intimo fervore
praebeo et offero.
Nihil opto mihi reservare
sed me et omnia mea tibi sponte et libentissime immolare.
Domine Deus meus, Creator meus et Redemptor meus,
cum tali affectu, reverentia, laude et honore,
cum tali gratitudine, dignitate et amore,
cum tali fide, spe et puritate
te affecto hodie suscipere,
sicut te suscepit et desideravit sanctissima mater tua,
gloriosa Virgo Maria,
quando angelo evangelizanti sibi incarnationis mysterium,
humiliter ac devote respondit:
*« Ecce ancilla Domini -*
*fiat mihi secundum verbum tuum ».* *(Lc 1 : 38)*

3. « Et sicut beatus praecursor tuus excellentissimus sanctorum,
Johannes Baptista,
in praesentia tua laetabundus exultavit in gaudio Spiritus Sancti
dum adhuc maternis clauderetur visceribus,
et postmodum cernens inter homines Jesum ambulantem
valde se humilians devoto cum affectu dicebat:
*« Amicus autem sponsi qui stat et audit eum*
*gaudio gaudet propter vocem sponsi »*, *(Joh 3 : 29)*
sic et ego magnis et sacris desideriis opto inflammari,
et tibi ex toto corde me ipsum praesentare.
Unde et omnium devotorum cordium jubilationes,
ardentes affectus, mentales excessus
ac supernales illuminationes et caelicas visiones
tibi offero et exhibeo cum omnibus virtutibus et laudibus
ab omni creatura in caelo et in terra celebratis et celebrandis,
pro me et omnibus mihi in oratione commendatis,
quatenus ab omnibus digne lauderis
et in perpetuum glorificeris.

4. « Accipe vota mea, Domine Deus meus,
et desideria infinitae laudationis ac immensae benedictionis,
quae tibi secundum multitudinem ineffabilis magnitudinis tuae
jure debentur.
Haec tibi reddo et reddere desidero
per singulos dies et momenta temporum -
atque ad reddendum mecum tibi gratias et laudes
omnes caelestes spiritus et cunctos fideles tuos
precibus et affectibus invito et exoro.

5. « Laudent te universi populi, tribus, et linguae,
et sanctum ac mellifluum nomen tuum
cum summa jubilatione et ardenti devotione magnificent.
Et quicumque reverenter ac devote altissimum Sacramen-

tum tuum celebrant
et plena fide recipiunt,
gratiam et misericordiam apud te invenire mereantur
et pro me peccatore suppliciter exorent.
Cumque optata devotione ac fruibili unione potiti fuerint,
et bene consolati ac mirifice refecti
de sacra mensa caelesti abscesserint,
mei pauperis recordari dignentur ».

## Capitulum 18.
## Quod homo non sit curiosus scrutator Sacramenti sed humilis imitator Christi, subdendo sensum suum sacrae fidei *audio: 18.39*

Vox Dilecti:

1. « Cavendum est tibi a curiosa et inutili perscrutatione
hujus profundissimi Sacramenti
si non vis in dubitationis profundum submergi.
*Qui scrutator est majestatis*
*opprimetur a gloria.* *(Pr 25 : 27)*
Plus valet Deus operari
quam homo intelligere potest.
Tolerabilis est pia et humilis inquisitio veritatis,
parata semper doceri
et per sanas Patrum sententias studens ambulare.

2. « Beata simplicitas,
quae difficiles quaestionum relinquit vias
et plana ac firma pergit semita mandatorum Dei.
Multi devotionem perdiderunt
dum altiora scrutari voluerunt.
Fides a te exigitur et sincera vita - non altitudo intellectus
neque profunditas mysteriorum Dei.
Si non intelligis nec capis quae infra te sunt
quomodo comprehendes quae supra te sunt?
Subdere Deo et humilia sensum tuum fidei,
et dabitur tibi scientiae lumen
prout tibi fuerit utile ac necessarium.

3. « Quidam graviter tentantur de fide et Sacramento -
sed non est hoc ipsis imputandum, sed potius inimico.
Noli curare, noli disputare cum cogitationibus tuis
nec ad immissas a diabolo dubitationes responde.
Sed crede verbis Dei, crede sanctis ejus et prophetis,
et fugiet a te nequam inimicus.
Saepe multum prodest quod talia sustinet Dei servus.
Nam infideles et peccatores non tentat
quos secure jam possidet -
fideles autem devotos variis modis tentat et vexat.

**4. « Perge ergo cum simplici et indubitata fide**
**et cum supplici reverentia ad Sacramentum accede.**
**Et quidquid intelligere non vales**
**Deo omnipotenti secure committe.**
**Non fallit te Deus -**
**fallitur qui sibi ipsi nimium credit.**
**Graditur Deus cum simplicibus, revelat se humilibus,**
**dat intellectum parvulis, aperit sensum puris mentibus -**
**et abscondit gratiam curiosis et superbis.**
**Ratio humana debilis est et falli potest -**
**fides autem vera falli non potest.**

**5. « Omnis ratio et naturalis investigatio fidem sequi debet,**
**non praecedere nec infringere.**
**Nam fides et amor ibi maxime praecellunt,**
**et occultis modis in hoc sanctissimo et superexcellentissimo Sacramento operantur.**
**Deus aeternus et immensus infinitaeque potentiae**
**facit magna et inscrutabilia in caelo et in terra;**
**nec est investigatio mirabilium operum ejus.**
**Si talia essent opera Dei ut facile ab humana ratione caperentur,**
**non essent mirabilia nec ineffabilia dicenda ».**